COLAI
OPERA.
MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Liten

Novo Tacin

937/IV

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

D. O. M. A.

DE

MEDIO RELIGIOSO ET THEOLOGICO,

Hoc est, de mediis inter extremas in Theologicis sententiis advertendis & recipiendis, extremis quandoq; cavendis & declinandis,

EXERCITATIO PECULIARIS THEOLOGICA.

Exemplis ad calcem & quibusdam Philosophicis illustrata.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Theol. & Phil. Professore.

ELBINGÆ,

Literis CORELLIANIS.

Anno à partu Virginis Matris,

M. DC. LIII.

NOBILISSIMO atq; AMPLISSIMO VIRO,

DN. JOHANNI SCHIMELFENGIO,

Inclytæ Reip. Cniphovianæ apud Regiomontanos Consulari gravissimo: Patrono literarum magnifico: Fautori multùm observando, &c.

S. Et omnigenam felicitatem.

NOvo huic in Theologicis scribendi generi, *Vir Nobilißime, Patrone observande*, præcipua spiritualium complexo, & extrema in media vocanti, *Nominis tui favorem* prætexere sustinui. Svasorem & tuum, & meum *Admontium* habere potui: Animum tamen suggestorem persensi. Movit exquisita indolis tuæ modestia, rarum in suo fastigio decus, quâ modum cum summâ fortunâ in consensum coalescere perfecisti. Non divitiæ inflare animum, non adversa infirmare valent. Utriq; fortunæ parem vultum obvertere, eruditio, ætas, prudentia, gnarum concinnârunt. Modum in universis tenere sveto, *Tractatio de modo & medio Theologico servando*, meritò inscribi postulavit. Ostensus in scripto haud displicebit, qui diu in animo firmatus hæsit. *Aliis* fortè parum ad palatum: *Rigidis* absurda molitio censebitur. Sanè judicia in liberâ Republicâ libera relinqui debent. Nam ut vultus ac figuræ hominum divertunt. Sed iniquas sententiarum detorsiones fugere, litium in immensum texturas resecare, modum tenentis esse credendû est. Occurrere quandoq; medias in extremis sententias, tutiùs præcoli, extrema relinqui, moderato censendum. Omne nimium vitiosum. Cur non sæpè erroneum? Et noxiè aut frustrà in extremis contenditur, cum mediis commodioribus in transactum venire datur. Pro modo animi tui, VIR AMPLISSIME, moderatum scriptum dedignari non poteris. Eò patrocinium solicitiùs exorare vix debeo. Arrisisse compertum, ulterioribus principium esse poterit. Si frustra rationes jam mecum deputavi, Conatum juvandi in laude pones, quando effectum in casu locari necessum erit. Scriptorem ad minimum intra Cultores tuos admiseris: Tantò fortè viliore scripto TIBI primâ vice obfusum, quantò tu maximus omniû literarû Patronus constanter degis. Vale, *Vir Nobilißime ac Consultißime*, & serâ die rebus nostris eximere. Elbingæ. Pridiè Cal Majas. Anno Orbis reparati, 1653.

Nobilißimi atq; Amplißimi Nominis Tui

Officiosissimus Cultor,

HENRICUS NICOLAI, Th. & Ph. P.

LECTORI CHRISTIANO ac BENEVOLO
S, *Et pacem Christi.*

DUm *de medio religionum* commentor, *Christiane Lector*, te *in medio affectuum* constitutum exoptem. Nec amore mei, nec odio duci velim. Causas eorum in præsenti procùl habere debeas. Rem ipsam pensare, semoto in hominem affectu, causas ac momenta rei considerare, justum memento. Publico religionum usui illaborare commeditor: hiatus committere, affectuum, fidei, rationis iras, Imperium in animâ affectantes, tranquillitati inimicas, componere, propiùs ad verum accedere, ab extremis abscedere, *ad media ac tutiora, ubi res ferat, deducere*, destinatum mihi. Rectus homo à Creatore conditus; Sed ipse infinitis se immiscuit quæstionibus, ait *Ecclesiastes* C.7.v.30. Reformatione opus esse, nemo cordatior abnuerit. Vota tua meis conjungi æquius fuerit; Non odia moliri, aut obices mediis meditari. *Unicum, & in illis inter præcipua*, adductum hic vides; *Inter extrema sententiarum medium quandoq; venari, constituere, recipere.* In extremis nimium nos hærere, exempla planum reddunt. Medium æquiùs in multis arripi, hic fidem facere, exemplis commonstrare, scopus scripti esse potest. *Medio tutißimus ibis: Medium tenuêre beati*, Poëtarum dicta sunt. Id hic spiritualibus admovere visum. Non falsa pro veris accipere, illis commiscere, specie veri infucare, aut verum falsumq; pariter ponere ac parare, juberis. *Sed in extremis sæpiùs ad falsum, vacillans, diffusum, declinantibus, medium advertere & obtinere svadeo*, quod veriùs, prudentiùs, commodiùs, illis seligas. Tutissima suggero. Stultum est, ad credendum non solidiora sufficere, sed disputacia. Infrunitis ac calumniosis fecibus, Atheismos aut Epicureismos crepantibus, te dissimilem esse volo, ne socieris, circumspectè providere. Non, quod verum in Theologicis, tollitur, aut negatur: Sed meliora per media substituuntur, quibus tutiùs extremis confidas, & *compendiosiùs circa dogmata in mediis procedas*, non in immoderata aut infinita diffundas. *Is hic scopus*: *Eò parata seges*, & tractationis Sylloge attendit. Extremorum in religione mala, malo cum suo *Europa* à seculo non uno jam loquitur & gemit. In sectas, factiones, odia, bella,

excisiones,

excisiones, palàm decursum est. Id *Gallia*, *Germania*, *Belgium*, *Bohemia*, *Anglia*, funestis casibus contestantur. Qui nondùm super contritione Joseph ingemiscat, illi robur & æs triplex circa circa pectus fixum oporteat. Serò tamen Phryges sapere ajunt, & nonnisi plagis. Post vastata deplorataq; omnia, de pace tandem cogitatum quibusdam, & provisum. Beata sanè molitio: Etsi post annos 30. satis sera. Sed ultrà movere velit DEUS PACIS, ut & in religionis negotio statuatur, quod successum ad pacem speret. Validè enim adhuc in partes & odia, ac audacissimè, procurritur. Qvi viam pacis intendunt, aut eò manuducunt, odiis & conviтiis plerorumq; subjacere coguntur. Si gladius in manu, haud dubiè in persecutiones furor devergeret. *Sævâ in seipsam humanâ indole, quæ ad similitudinem DEI pacis ficta, discordias tamen ac odia miscere perpetuò præcolit.* Nì alibi ad manum, quod mordeat, in sua ipsius viscera dentes infigere satagit. Adhuc tamen á paucis resistitur, & inter moderata à Principibus, Doctoribus, & pacis quibusdam filiis consistitur. Hic ad pacem *medium* proponitur, quod usum ferat, LECTOR. Id in *Physicis*, *Practicis*, *Medicis*, *Iuridicis*, salutariter arreptum & occupatum, Cur non *Theologicis* prudenter adhiberi queat, obstare nihil debeat. Admoveri, plurima sint, quæ svadeant. Odia & factiones hominũ ut mereatur, ratio nulla sat valida est. Si mens mortalium non læva, *non odia aut divortia, sed consensus indè sperari debeant, aut mitificata extremorum.* Horsùm hic prospicitur & laboratur. Eventa sæpè ex vitiis, affectibus, sectis, hominum sunt, & DEO Averrunco committenda. Lege interim nostra hæc, *Christiane Lector*, Cense, & in melius interpretare. Juvare sanè, ac convulsa restituere, intenditur, non quieta convellere. Si non universa salivæ vident, intercurrent tamen, quæ ex usu commodoq; evenire queant. DEUS intellectum instruat, voluntati affectum veri ac pacis inserat, ut omnes, quæ veritatis ac caritatis sunt, in Christo sapere incipiamus. Is pacem suam & dedit suis, & reliquit, cum abitionem ad Patrem è mundanâ conversatione paravit, *Ioh.* 14. Cujus paci ac tutelæ resignatus medius & quietus in his vitæ fluctibus persistito. Elbingæ, 30. Aprilis, Anno 1653.

(o)

De medio religioſo,

Hoc eſt, medijs inter extremas ſententiis advertendis & recipiendis, extremis quandoq; cavendis aut declinandis,

EXERCITATIO PECULIARIS.

Magnam partem Theologica.

Exemplis etiam Philoſophicis & Hiſtoricis circa finem illuſtrata.

QVod in Conciliationum doctrinâ Logicâ commoneri ſolet, *ut* an inter extrema in enunciato propoſita *medium detur ac reperiri queat extremis convenientius, animadvertatur, & in conciliandi praxin deducatur, Prout* Tract. de Conciliatione Enuntiat. t. 6 10. 17. ſeq. *monebo, Vbi edendi occaſio fuerit: Id in Religionum negotio animadvertere & occupare neceſſarium ac utile eſſe* præſens Tractatio *demonſtrabit. Nec enim quævis enuntiata ſine medio pugnant, ut, Omnes homines ſunt docti, & nulli ſunt docti, medium habent, non omnes ſunt docti:* Et in ipſis Contradictoriis medium noſtræ ignorantiæ & non liquendi admittitur, *Vt, mundus poſt annum interibit, & non interibit, medium eſt, Totum hoc non liquet, & inter arcana DEI repoſitum eſt,* t. 57. *Prout* de Contradictionis naturâ, Oppoſitione, & Conciliatione Enuntia-

torum *uberiùs deductum.* *In religionis negotiis quàm ſalutariter medium ſvadeatur, teneatur, propugnetur, varia exempla docere queunt: Et* Phyſica, Ethica, Politica, Medica, Juridica exempla *ingente copiâ commonſtrare poſſint.* *Virtutes in medio, vitia in extremis* Morales *Philoſophi collocârunt.* *In Medicis ubi perfecta ſanitas ad ſpem non eſt, ad medium inter ſanitatem & morbum intenditur & laboratur.* In religionum conciliandarum negotio commonitorium hoc ſalubre eſſe *deprehenditur, ubi vel vitio affectuum, contradicendi ſtudio, vel nimiæ ſcrupuloſitatis, aut theſios retinendæ, aliorumvè intercurrentium, ad extrema quandoq; delapſi ſumus, mediorum incurioſi, quæ utiliùs arripi potuerunt, Vt exemplorum praxis in progreſſu docebit.* *Verè autem illud Poëtæ huc tralatitium facias:* Occupat extremum ſcabies, extrema relinque, Extremis lictis medio tutiſſimus ibis. *Quo de* præſens Commentatio *argumentum* BONO CVM DEO *tractatione aliquâ demenſum dabit.*

2. *Exempla negotium in fidem deducent, & manifeſtius illis evadet.* *Prout* Tract. de corruptione fidei Christianæ *diſtinctè per locos Theologicos* corruptionem *delineavi, Etſi nondum Tractatio edita: Ita nunc* receſſum à medio & acceſſum ad illud *eadem methodo ſtrictìm delibare utile viſum fuit.* *Omnia enim adducere non neceſſum eſt: ſed ſpecimen aliquod dare ſufficiat, Cum ex uno exemplo ad ſimilia procedere, ac extrema & media obſervare liceat, quibus exceſſum ſit, & quâ ratione inter exceſſus medium tutiùs arripiendum ſit.* In Loco de Scripturâ in ſequentibus exceſſus ac media *notari queant.* Scriptura eſt perfecta in ſpiritualibus, *& non eſt perfecta, ſed*

manca

manca & mutila in illis, extrema sunt. Quæ inter medium ita tutiùs determinabis, Scriptura est perfecta in dogmaticis & necessariis, sed non in omnibus historicis aut ritualibus, Joh. 20. v. 30. C. 21. v. 15. Aut libris adhuc restantibus olim in & sub eâ comprehensis, qui perierunt. Est perfecta Canonicè & relativè quoad nos, ut nos ex eâ in necessariis perfici queamus, non Historicè, absolutè, aut quantitativè, quasi non plura revelari potuissent, quàm in eâ revelata, aut omnes libros olim in eâ contentos adhuc obtineat, aut omnes in Theologicis rixas & contentiones decidere possit vel debeat. Scriptura est Judex Controversiarum in spiritualibus, & non Scriptura, sed Papa est Iudex, extrema sunt. Medium, Scriptura propriè norma, ad quam judicatur, Doctores Ecclesiæ ad Scripturam & ex eâ judicantes judices interpretativi & Diaconici sunt, qui partes audiunt, expendunt, discutiunt, definiunt, non præcisè Solus Papa: Summus Iudex Spiritus S. est. Iudex analogicus, & secundarius, Vt decretum Principis Iudex dicitur, cum propriè ipse Princeps talis, Scriptura vocari potest, Non univocè & rigidè dictus. Prout vox judicis vocabulum ex analegis est, ut Hutterus L. C. p. 53. docet. V. de Conciliat. Enunt. t. 17. Sic Canonici libri corrupti sunt, & non corrupti, sed integri sunt, extrema. Medium, in fundamentalibus non sunt corrupti: In secundariis variationem aliquam lectionis, ut & alia scripta, patiuntur, quæ non statim corruptionis nota. Vna enim ex illis proba ac legitima est, sensumq; justum de se fundit.

3. Scriptura est obscura in spiritualibus, & in omnibus est clara ac aperta, ut sine speciali illuminatione

Sp. S. *ſenſus ejus ſatis percipi poſſit, extrema, & utrinq; falſa ſunt.* Medium inter ea, *in fundamentalibus & ad ſalutem neceſſariis punctis pio ac attento lectori Chriſtiano ſatis clara, in ſecundariis difficilis, ſublimis, & ſic nobis ſæpè obſcura eſſe poteſt.* Scriptura eſt data, ut ſit Canon noſter, *& non eſt data, ut ſit Canon noſter in ſpiritualibus, ſed commonitorium ſaltem, extrema.* Medium, *eſt data, ut Canon ſit, ſed doctrinæ & morum, adeoq; doctrinalium punctorum, non autem omnium aliarum materiarum, civilium,* Phyſicarum, Mathematicarum, Hiſtoricarum, Politicarum, *de quibus ſæpè obiter & ad communem ſententiam vel apparentiam, non accurationem, loquitur.* *Vt* Tract. de terræ motione t. 20. *oſtenſum.* Vnius dicti Scripturæ unicus eſt tantùm ſenſus, *Et unius dicti multiplex eſt ſenſus, literalis & ſpiritualis, proprius & myſticus, primarius & ſecundarius, extrema.* Medium, *Vnius dicti uno in loco propoſiti unus eſt ſenſus* ex parte dicentis & primarius, *ac primâ intentione ſcribentis propoſitus:* Ex parte audientis, *aut ſecundariâ intentione arreptus, aut aliquâ principalis ſenſus ad ſimilem & analogicum applicatione, vel typi ad antitypum traductione, duplex eſſe poteſt.* Scriptura DEI mandato literis eſt tradita, *Et non DEI mandato, ſed occaſione quadam tradita, extrema.* Medium, *Scriptura DEI mandato ſcripta, non externo ſemper & propriè dicto, ſed interno quandoq; & analogico, internâ inſpiratione, tractu, motu, ac pulſu ſanctis DEI hominibus divinitùs incuſſo, & incitamenta eò variæ occaſiones hominum & circumſtantiarum eſſe potuerunt.* Authoritas Scripturæ à DEO, & ab Eccleſiâ dependet, *extrema.* Medium, *Authoritas Scripturæ*

pturæ in ſeſe abſolutè ſumpta à DEO, cujus verbum eſt, dependet, ſed eadem ut nobis innoteſcit, revelatur, & cognoſcitur, etiam ab explicante dependere poteſt. Qui hic Eccleſia. Quomodo authoritas decreti Principis notificata & explicata etiam ab interprete dependere dici poſſit, qui ex ignotâ linguâ in notam ſenſum ejus auditori aut cognoſcere debenti repræſentat. Sic puncta Hebræa textui Hebræo coæva ſunt, & non coæva, ſed diu poſt inventa ac addita ſunt, extrema. Medium, puncta coæva ſunt quantum ad ſe & ſubſtantiam vocalium, quibus nulla Scriptura carere poteſt, ſed non ſunt quantum ad expresſionem aut figuræ identitatem, quaſi ſemper in textu apertè expreſſa ſint, aut eandem externam notam & characterem perpetuò habuerint ac retinuerint. Myſteria fidei ſunt contra rationem, & non ſunt contra eam, Medium, Vtrumq; ſunt. Contra rationem, hoc eſt, ſuperant eam, & quà corrupta ratio eſt. Non ſunt contra eam, hoc eſt, non evertunt eam, & quà correcta ac ſana ratio eſt. Omnes libri V. T. ſunt Canonici, & non omnes ſunt, ſed quidam Apocryphi, Medium, ſunt Canonici, ſed Canone Eccleſiaſtico, ad uſum fidelium, quo poſt 5. aut 6. ſeculum recepti ſunt, non divino, ut ipſum DEI Verbum, qui immediatè ab eo inſpirati eſſent, ut cœteri. V. Script. Reform. in Conv. Thorun. l. a. 4. Reliqua, quæ in hoc loco moveri queant, ex analogiâ horum determinari poſſint.

4. In Loco de DEO & Trinitate ſequentia exempla obſervari queant. In Trinitate eſt unica numero eſſentia, & non unica, ſed tripla eſt, extrema Medium noſtræ ignorantiæ hic fortaſsè, & apud ſimplicem

Christianum vel maximè esse queat, non enim nimis rigidè hic definiam, & totum hoc non liquere, *sed inter arcana Cœli repositum esse dici possit. Nec affirmari in hac caligine nimis præcisè possit, Non enim Scriptura tantam specialitatem sat expressè nobis, sed generaliùs determinat, nec negari debeat, sed ad beatam DEI in altero seculo visionem reservari possit. Speciales essendi modos hæc attingunt, qui sæpiùs in mysticis non liquent, ut alibi dictum.* V. de non liqu. t. 7. 8. *Et Meth. Trin. t. 19.* Filius DEI eandem numero essentiam cum patre habet, *& non eandem, sed diversam numero habet, extrema.* Medium, *Nemo mortalium sufficienter id nosse aut dicere potest, sed quædam arcanis DEI committi debeant. Nec tamen eadem essentia negari, nisi ab impudentibus, debeat.* Filius DEI est Creator rerum omnium, *æq; ac Pater, & filius DEI non Creator, sed instrumentum Creatoris est, extrema.* Medium, *Creatoris filius est, per quem, non ut per instrumentum, sed ut substantiæ suæ imaginem & characterem coæqualem Pater, qui exquisitè Creator rerum est, universa creavit.* V. Method. d. Trinit. t. 21. Filius DEI est summus ille DEUS, *perindè ut Pater, & est mera per naturam sui Creatura, extrema.* Medium, *Verus & essentialis DEUS est,* Joh. 1. Rom. 9. *1.* Joh. 5. *Sed unus pater major eo est, quà Pater & principium, etsi in cæteris omnibus filius perfectè ei æqualis sit.* V. de Comparativ. t. 18. De Conciliat. t. 17. Method. d. Trinitate, t. 20. *Inoriginatus ille DEUS, & principium originis nullum agnoscens, Solus Pater in divinis est. Filius DEUS verus, sed de DEO, est.* Spiritus S. est persona in DEO, *& est accidens in DEO, extrema.*

Medium,

Medium, *est pignus & arrha hæreditatis nostræ, quâ obsignati sumus usq; in diem redemptionis nostræ, ut seipsum vocat*, 2. Cor. 1. & 5. Ephes. 1. & 4. *Paracletus, doctor, & qui postulat pro nobis*, Joh. 14. 15. 16. Rom. 8. v. 26. *Vbi pios Christianos sistere tutissimum est, etiamsi tandem de reliquis terminis non ita constare possit.* Vt de corrupt. fidei, t. 6. dicam. *A termino personæ hic abstrahi queat, quia tricosus, etsi non negari debeat, quia à Scripturâ insinuatus, Vt in* Pentecost. t. 29. *dixi.*

5. Attributa DEI ipsa DEI essentia sunt, & non essentia, *sed accidentia sunt, extrema.* Medium, *sunt affectiones & attributa eminentia essentiæ, à parte rei ipsa essentia, sed à parte distincti formalis conceptus, fundamentum in re invenientis, essentiæ attributa, ratione ab eâ & inter se distincta, non autem accidentia prædicamentalia realiter ab esse diversa; componentia, & finitè ut prædicamentale quid determinantia,* Vt dec. 1. Misc. di. 4. *docui.* Christi caro est ubiq;, & tantùm in Cœlo, *extrema.* Medium, *est, ubi se futuram promisit, instituit, legavit, & utile ac necesse, finiq; mediatorio conveniens est, & in Scripturâ traditum est.* Mediatoria præsentia, *quæ Christi DEI & hominis simul est, ut officialis ipsi, ubiq; in spatiis infinitis extra mundum nec necessaria, nec promissa est, nec quod ibi operetur vel administret, habet.* V. de Multipræs. t. 84. 85. Inclusa Cœlo ubietas in carne Christi, & infinita in omnibus spatiis ubiquetas, *duo extrema Reformatorum & Vbiquistarum Scripturæ non satis conformia sunt.* Medium, *mediatoria præsentia, ubi se futuram condixit, tutissimè hic præfertur. Cœtera relinquuntur, aut cum* Chemnitio, Chytreo, Mentzero,

Heshusio,

Heshuſio, Helmſtadienſibus, *& aliis ad cœleſtem Academiam differuntur, non ultra inſtituta, promiſſa, legata, pacta, extenduntur.* *In Eccleſiâ, Sacramentis, cordibus fidelium,* Ioh. 6. & 14. *Chriſtus eſt, & in medio inimicorum dominatur,* Pſal. 110. & 1. Cor. 15. *Vbi nobis quieſcendum eſt.* Datur aliqua ex naturâ ſine inſtitutione hauſta DEI notitia, *quæ & ad ſalutem ſufficiat, & nulla naturalis de DEO notitia datur, extrema ſunt.* Medium, *datur aliqua naturalis notitia de DEO langvida & imperfecta, ſed ad ſalutem inſufficiens, & quâ ſolâ nullus unquam ſalvatus eſt,* V. de Not. nat. C. 1.

6. Myſterium Trinitatis non ſufficienter in ſacris eſt revelatum, *ſed traditione ad illud opus eſt, Et myſt. Trinit. ad abundantiam ibi eſt revelatum, ut nullâ traditione hic opus, extrema.* Medium, *Myſt. Trinit: ſufficienter, ſed* pro fide & ad ejus inſtructionem, *in Sacris traditum, & ad eam nullâ traditione opus: Non autem ita abundanter* ad omnes Scholarum quæſtiones & diſceptata, *quæ illæ de eo moverunt, in ſacris eſt revelatum, quorſùm Scriptura non data eſt, nec dari debuit. Sed traditione opus, non ad fidem ejus, ſed antiquitatis conſenſum, & dictorum de eo agentium ſimilem cum noſtro ſenſum & explicationem, oſtendendam ac Adverſario deducendam.* Trinitas etiam ex Naturâ probari poteſt, *Et ex Naturâ oppugnari poteſt, extrema.* Medium, *non ſolidè & plenè ex Naturâ probatur, ſed obiter, ſimilitudinariè, & vacillanter, illuſtrando magis, quàm demonſtrando. Nec ſolidè ex Naturâ oppugnatur, quæ in alieno genere id facere non debet, & expugnari ex eâ non poteſt.* V. d. not. nat. C. 3. DEUS poteſt definiri, *& nequit definiri, extrema.*

trema. Medium, *Poteſt definiri* latè, *hoc eſt, qualitercunq; deſcribi, explicari, inadæquatè repræſentari:* *Non poteſt* ſtrictè, Logicè, *per genus & differentiam Logicam, & adæquatè ac totaliter exhauriri, ut nihil ejus ſuperſit, quod non ab intellectu Logico comprehendatur.* Generatio filii DEI eſt propria, & Phyſica, *& eſt tropica ac Metaphorica, extrema.* Medium, *eſt eminens & hyperphyſica, non propria, nec impropria, qualis in Naturâ obtinet, ut generatio humana propria, muris & ranæ à Sole tropica & impropria, ſed* longè eminentior & transnaturalis, *propria quidem proprietate Grammaticâ & Rhetoricâ, non tropica, non autem proprietate Phyſicâ, quaſi Phyſicæ ſimilis ſit, ſic enim magis analoga, quàm univoca eſt.* Filius DEI poteſt dici αὐτόθεος & non poteſt dici, *extrema.* Medium, *Scriptura ita non loquitur, & ſignificatum vocis* αὐτοθέου *diſtinguendum, ut abſolutè ſic vocari aut non vocari poſſe, citra diſtinctionem nec affirmari, nec negari poſſit.*

7. *In* Loco de Chriſto *in ſequentibus extremitas animadverti queat.* Chriſtus non eſt eſſentialis DEUS, *Ut* Photiniſtæ, *nec eſt eſſentialis homo, ſed phantaſticus tantùm, Ut* Manichæi, Marcionitæ, Baſilidiani, aliiq; *volunt, extrema.* Medium, *eſt DEUS & homo ſimùl in uno ſuppoſito compoſito.* Deitas & humanitas invicem confuſæ ac commiſtæ in Chriſto ſunt, *ut* Eutychiani, *& ne unitæ quidem & invicem communicantes ſunt, ut* Neſtoriani *volunt, extrema.* Medium, *Perſonaliter ad unum compoſitum perſonale conſtituendum unitæ ſunt, ſed nec confuſæ, nec commiſtæ, ſed quævis diſtincta manſit.* Meſsias nondum venit, *ſed venturus eſt, ut*

Iudæi, *Et nec venit, nec venturus est, ut Semijudaisantes & Seidelistæ volunt*, U. Pasional. t. *12. extrema*. Medium, *Messias jam venit, non autem adhuc venturus, vel nunquam venturus est.* Multa dicuntur de Christo toto, quæ secundùm nullam partem affirmari possunt, *Vt Christus est compositus*, Et nihil dicitur de Christo, *quod non secundùm unam aut alteram, aut utramq; naturam de eo affirmetur, extrema, & indistinctè prolata falsa sunt.* Medium, *In prædicatis personæ* formalibus, *aliqua de Christo toto dicuntur, quæ de nullâ parte, ut Christus est persona composita, constat Deitate & humanitate, DEO & homine,; subsistit in humanitate & deitate, ex DEO & homine aggregatus est:* In materialibus *nihil de eo dicitur, quod non secundùm aliquam partem verificetur. Vt passus, mortuus, exaltatus est, secundùm carnem, infinitus, æternus, Creator rerum est, secundùm Deitatem.*

8. Naturæ in Christo παντάπασιν incommunicabiles sunt, *& in omnibus etiam in abstracto inter se communicabiles sunt, ut Caro est æterna, infinita, spiritualis, & Deitas est corporea, mortalis*, extrema, *& utraq; parte falsa sunt.* Medium, *in quibusdam realiter communicant, in quibus altera natura non evertitur. Vt, Caro Christi est omnipotens, vivifica, omniscia, adoranda. Sed non infinita, æterna, spiritus. Hæc enim evertunt eam. Verbum vitæ visum, auditum, contrectatum, mortuum, passum in carne suâ est. Sed non, Spiritus ut DEVS in Christo, mutatus est in Corpus, infinitum & æternum transiit in finitum & temporarium, Creator conversus est in Creaturam, Spirituale in carnale, immensum in mensurabile, Deitas facta est mortalis, passibilis, corruptibilis, passa, crucifixa.*

fixa.

fixa, & mortua est. Sola hypostasis filii DEI communicata est carni, *non Sola, sed & natura divina communicata est, extrema.* Medium, *Verbum Caro factum est, Filius DEI semen Abrahæ assumpsit, DEVS in carne manifestatus est*, & quà *subsistentiam, ut immediatum ac ultimum unionis terminum*, & quà *naturam filii ac in filio, ut mediatum & consequentem.* Omnia attributa divina per unionem carni Christi sunt communicata, & *nulla sunt communicata, extrema.* Medium, Quædam, *quorum usus & vis in officio mediatorio esse potest, & se exserit, primò sunt communicata*, ut inde caro denominetur. *Vt omniscia, omnipotens, vivifica, adoranda, gratiosè præsens. Non ita reliqua, ut inde immediatè Caro denominetur, ut infinita, independens, æterna, immutabilis, immortalis, incomprehensibilis, actus purus, increata, ubiq; præsens, simplex, dicatur.* Datur communio idiomatum in Christo, *non datur:* Medium, *Sive detur, sivè non detur, fides prior istis terminis est, & rem ipsam Verbis Scripturæ simpliciter propositam credit, quicquid de tricosis terminis sit, qui immane Chaos contentionum in Ecclesiam invexerunt.* Vt de Corrupt. fid. t.6. *dicam. Scriptura rem simpliciùs sine talib. terminis Philosophicis proposuit.*

9. Christus sedet ad dextram DEI secundùm utramq; naturam, *& secundum neutram, sed prædicatum tantùm personale est, extrema.* Medium est, secundùm humanitatem sedet, *quâ passus, mortuus, resuscitatus, & exaltatus est, ac exaltari potuit, nec prædicatum personæ formale hoc est, sed materiale, ut mori, pati, crucifigi, exinaniri, exaltari, quod ad alterutram naturam determinari potest*, t. 7. Conterere caput serpentis, benedi-

bendictionem gentibus impetrare, animas salvare, *æternam justitiam acquirere in Christo actiones divinæ sunt, & contrà, actiones humanæ sunt, extrema sunt.* Medium, *accuratè loquendo* Deo-humanæ, & homo-divinæ, *Deiviriles, & virodivinæ, theandricæ & antropotheiæ sunt, Patiendo nempè & moriendo Sathanam conterere, salutem impetrare, justitiam acquirere, quas nec DEUS solus ita efficere, nec solus homo iis subeundis sufficere potuit, ideoq́ DEUS homo, & homo Deus simùl requisitus, qui id præstaret.* Prædicationes personales de Christo sunt verbales, *& sunt reales, extrema.* Medium, *utrumq́ sunt.* Verbales *quà enuntiandi modum, qui verbis & vocibus absolvatur necesse est.* Reales *quà sensum & veritatem, quæ ex reipsâ sumpta est, non quòd verba sine rebus aut veritate subjectâ tantùm enuntiat.* Sunt essentiales, *& accidentales,* Medium, *sunt paronymæ eminentes & extraprædicamentales, Nec Logicè strictè essentiales, nec accidentales.* V. d. mod. prædic. *c. 1. t. 27.* seq. Prædicatur in illis disparatum de disparato, *& non prædicatur, extrema.* Medium, *prædicatur disparatum, hoc est, quod aliàs verè disparatum in naturâ est, sed hic* non sub formali disparati, verùm uniti & conjuncti *enuntiatur, hoc est, quatenùs una natura alteri unita & conjuncta per mirabilem duarum naturarum in unam personam concursum facta est.*

10. Christus quà homo est naturalis DEI filius, & est *adoptatus filius, extrema, & ab utraq́ parte falsa sunt.* Medium, *1ò quà homo sensum ambiguum habet, & distinctè evolvi oportet, priusquam aliquid affirmetur aut negetur.* Reduplicante sensu *falsum est, quia homo est, ideò naturalis*

ralis DEI filius est: Non ob id, sed quòd naturali DEI filio personaliter unitus sit. Specificante *& describente verum est, sed addendum, Est quà homo naturalis DEI filius, verùm personaliter, non essentialiter.* V. Natalit. t. 30. Maria peperit Christum clauso manente utero, *& peperit aperto utero, extrema.* Medium, *Maria virgo ante partum & in partu permanens, nulliq; Viro cognita, Christum peperit. An aperto, an clauso utero, Evangelistæ non specialiter exprimunt, adeoq; inter ea, quæ satis distinctè dici non possunt, referri potest. Nec apertio uteri præcisè, sed coitus & viri cognitio virginitatem tollit.* Iudic. 11. v. 39. Luc. 1. v. 34. V. de esse alicubi, f. 4. t. 89. Et Natalit. t. 12. *Simile est in hoc,* Christus resurrexit sepulcro clauso manente, *& non clauso, sed reserato resurrexit,* Medium *est, Evangelistæ non distinctè id narrant, eoq; inter non liquenda referri potest.* V. de Ess. alicub. c. l. Sola humanitas Christi est passa, *& Divinitas etiam est passa, extrema, falsa, Nestoriana, Eutychiana, ac Theopaschitica sunt.* Medium, *DEUS in carne manifestatus secundùm eam passus & mortuus est.* Actor. 20. v. 28. *Christus carne passus & mortuus, Sed Spiritu vivificatus est,* 1. Petr. 3. v. 18. C. 4. v. 1. Sola humanitas passa, *ut subjectum receptivum passionis, & quod sensit eam,* Non sola *ut appropriativum & denominationis, sic enim homo DEUS, & Deus homo in carne suâ passus est. Actiones enim & passiones totorum ut subjectorum propriè sunt, etsi partes inde excludi non debeant.* Christus infernales pœnas sustinuit, *& non infernales, sed temporales tantùm, extrema.* Medium, *Christus pœnas nobis debitas sustinuit, sed vincendo & superando, non succum-*

succumbendo, desperantium supplicia sustinendo & in se transferendo, non desperando, t. 10. Christus localiter in cœlum ascendit, *& illocaliter, successivè & momentaneè, Corporaliter & spiritualiter,* Medium, Vtrumq; dici potest. Localiter *& successivè ascendit à terrâ usq; ad nubem, quæ eum à conspectu hominum suscepit,* Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1. *Et hoc voces in N. T. usurpatæ omninò volunt, ut in* Pentecostalib. t. 21. *docui.* Illocaliter *& momentaneè, postquam nube receptus, ubi quis in omnibus ascensionis modus specialis fuerit, Scriptura non explicat, & nostrum non omnia scrutari, sed in quibusdam quiescere est, Vt* de Corrupt. fidei t. 7. *monitum.* Christus ut Propheta Solam legem explicavit, *Vt* Photinistæ, Svencfeldistæ, Arminiani, *Et solum Evangelium proposuit, Vt* Antinomi *volunt, extrema.* Medium, *& legem & Evangelium simùl proposuit ac explicuit, inprimis tamen hoc.* Christus est unum per se, *& est unum per accidens,* Medium, *est unum per aliud, mirabilem disparatarum naturarum ad unum suppositum concursum, Cujus simile natura nunquam vidit.* Melchisedech CHristi typus est Semus, *& est ipse Spiritus S.* Medium, *Est is, quem nos ignorare debemus, quisnam fuerit, adeoq; non curiosiùs in illum inquirere.* V. de non liquend. t. 10.

II. In Loco de lege, Evangelio, peccato, bonis & malis operibus *sequens extremitas observetur.* Lex Naturæ est habitus, *& est tantùm potentia aut actus, extrema.* Medium, *Lex Naturæ nihil illorum strictè loquendo est, sed analogiam aliquam ex omnibus istis sustinere potest.* Dispositio *connata analogicè istis omnibus respondens est.* Habitus, *quà firmiter hæret & promptum*

facit,

facit, potentia, quà Naturæ connascitur, actus, quà per dictamen intellectus se prodit. V. de Not. nat. C. 2. Opera gentilium ad præscriptum legis Naturæ facta, sunt opera verè bona, *& sunt opera internè mala, extrema.* Medium, *sunt indifferentia, Legaliter & Evangelicè nec bona satis, nec mala, nec ut talia DEO accepta.* Lex est causa peccati per accidens, *& non est C. p. acc. extrema.* Medium, *Est causa per accid.* largè & abusivè *Causæ vocem sumendo pro omni eo, unde alius occasionem peccandi per accidens rapit, quomodo lex Concupiscentiam irritat,* Rom. 7. v. 8. 11. *Non est propriè & strictè pro causante, influente, aut occasionem ex suâ intentione subministrante sumendo.* V. de caus. p. accid. t. 41. 43. Sic DEUS est causa peccati *per accid. Et non est, etiam extrema, inter quæ* medium, distinguendo terminum Causæ. *Est Causa latè & abusivè vocando id, unde homo peccandi occasionem per accidens rapit, non propriè & accuratè pro influente, movente, incitante, approbante, accipiendo.* Ad legem requiritur promulgatio, *& non requiritur,* Medium, *Utrumq́; est, prout promulgationem latè aut strictè sumas.* Requiritur latè, *hoc est, revelatio & patefactio aliqua, sive connata, Ut Lex Naturæ, sive externè posita, Ut lex humana,* Non semper strictè, *externo signo & judicio facta, ut voce, scripto, solennitate.* V. Dec. 3. misc. d. 4. t. 18. Evangelium est concio pœnitentiæ, *& non est,* Medium, Utrumq; dici potest. *Est, si latè Evangelium pro totâ Novi Test. doctrinâ sumas, Ubi multas pœnitentiæ Conciones inspergit,* Matth. 3. seq. Marc. 1. Luc. 3. seq. Non est, *si strictè pro gratiæ in Christo annuntiatione legi & legalibus mo-*

nitis

nitis contradistinctâ sumas. Sic enim fidem & gratiam prædicat, non pœnitentiam. Et est *pœnitentiæ Concio, ut pœnitentia partialiter ac inadæquatè pro erectione ex fide factâ sumitur, Fides enim in & ex Evangelio est,* Non *ut totaliter pro contritione & erectione simul,* t. 19. *Sic enim Contritio ex lege propriè est:* Vel *est pœnitentiæ Concio ut appendicis cujusdam, non autem ut directi objecti, Ut* alii *putant.* Peccatum est realiter positivum quid, *& est merè privativum quid, extrema.* Medium, *Peccatum* materialiter *positivum quid, in actu, habitu, fomite, dispositione vitiosâ radicatum, quæ accidentia:* Formaliter *& illis contradistinctum privativum quid est, non rigidè positivum, quasi realem ac positivam distinctam essentiam substantialem vel accidentalem habeat, hæc enim omnis à DEO est, & valde bona est,* Gen. 1. v. ult. *Peccatum autem non, sed ἀνομία est,* 1. Joh. 3. v. 4. *Quæ formaliter in sese privatio, aberratio, & exorbitatio est.*

12. DEUS creavit hominem ad damnationem, *& creavit ad salutem, inter extrema esse queant.* Medium, *Creavit hominem liberum, ut viribus concreatis tàm salutem, quàm damnationem arripere & comparare posset;* Sirac. 15. v. 14. seq. *Primâ intentione & ut Pater ad salutem, sed secundâ & ut Iudex, postquam apostaturum prævidit, ad damnationem creasse aliquo modo, sed non satis accurato, dici potest, sub conditione, si nimirùm apostataret.* Bona opera sunt necessaria ad salutem, *& sunt noxia ad eam, extrema.* Medium, *bona opera nec ad salutem sunt necessaria, nec noxia, sed homini salvando necessaria requisita & conditiones subjecti sunt, sine quibus nemo videbit Dominum,* Matt. 7. v. 19. Hebr. 12. v. 14.

Apoc.

Apoc. 21. v. 26. *Non ad ipsam salutem præcisè, velut ejus causæ promerentes, conservantes, aut impetrantes esse queant, necessaria sunt, Vt* Tr. de Sanctification. & bon. oper. *dicetur.* Peccatum Originis est accidens hominis leviculum, *& est ipsa substantia hominis Theologica, extrema sunt.* Medium, *est accidens quidem, sed gravissimum, tenacissimè inhærens, & omnes hominis vires intimè pervadens, & instar pestis inficiens ac totaliter corrumpens, non autem substantia hominis nec Physica, nec Theologica.* Ob solum peccatum originale infantes sine baptimo decedentes damnantur, *& non ob id damnantur, extrema.* Medium, *totum hoc non liquet. & judicio DEI committitur.* V. t. 18 48. Et de non liquendo, t.9. Peccatum actuale cadit in infantes, *& non cadit, extrema.* Medium, *Proæreticum peccatum non cadit in infantes, etsi actuosum, operosum, & efficax alias in eos cadat.* DEUS vult quædam peccata, ut pœnas aliorum peccatorum, *& DEVS non vult ea, extrema.* Medium, *DEVS pœnas & determinationes ad eas in peccatis vult, sed ipsa peccata nullâ ratione vult aut velle potest.* V. d. Caus. p. accid. t. 45. Renati possunt sine peccato degere, *& non possunt, extrema.* Medium, *Possunt sine peccato destinatæ malitiæ, sed non infirmitatis humanæ degere.* Renati peccant, & non peccant, *extrema.* Medium, *Renati peccant ex infirmitate & ut homines,* Rom. 7. v. 14. seq. Jac. 3. v. 2. *Non peccant ex malitiâ & ut renati præcisè, Quà semen DEI in illis manet,* 1. Joh. 3. v. 9. C. 5. v. 18. Renati peccatis Sp. S. excutiunt, *& non excutiunt, sed retinent, extrema.* Medium, *excutiunt ex parte suâ*

& ad tempus, *non ex parte* DEI, *qui semel datum perpetuò servare vult*, *& semper finaliter*, *quasi nunquam eum recuperare possint.*

13. In Loco de Creatione, angelis bonis & malis, primo homine, libero arbitrio, imagine DEI, *sequentia quà nostram materiam notari queant.* Mundus potuit creari à DEO ab æterno, & non potuit, medium, *totum non liquet*, *& utraq; sententia probabiliter teneri potest.* Mundus vere conditus, *& autumno conditus*, medium, *dici nequit*, *quale tempus fuerit. Ordinariè nec ver*, *nec autumnus fuit*, *non enim aliud tempus præcessit*, *sed extraordinarium*, *simul cum rebus divinitùs in principio creatis concreatum. Quod an magis veri*, *an autumno responderit*, *dici ita exactè non potest. Analogiam utriusq; in nonnullis obtinuisse non improbabile est.* Angeli sunt in loco, & non sunt, medium, *sunt in spatio ac ubi suo*, *quod locus Metaphysicus*, *sed non Physicus appellari potest.* V. de eff. alicubi, f. 2. Tot ordines angelorum dantur, *& non tot*, *sed plures aut pauciores*, medium, *totum hoc non liquet*, *& tacente Scripturâ distinctè dici non potest*, *frustraq; à nobis curiosiùs indagatur.* V. Michael. t. 54. Plures sunt angeli, quàm homines, *& pauciores*, *quàm homines*, Medium, *totum hoc ignotum est.* V. c. l. Solo numero angeli differunt, *& non solo numero*, *sed totâ specie*, Medium, *& hoc satis firmiter constitui non potest.* V. c. l. t. 56. Angelus malus diu in sanctitate concreatâ perstitit, *& non diu perstitit*, medium, *totum hoc incertum est.* Angeli primo die Creationis creati, *& non primo die*, medium, *& hoc certò dici non potest*, *sed incognitum est.* Plures sunt

sunt angeli boni, quàm mali, *& plures mali, quàm boni*, medium, *& hoc dici ab homine non potest, sed inter ignorata referri debet.* Cœlum beatorum est creatum quid, *& non est, sed increatum*, medium, *aut aliquid nobis incognitum.* V. Hulsem. dial. c. Calixt. t. 111, p. 415. *Vel adhuc creandum, novum cœlum*, Esa. 65. 2. Petr. 3. Apoc. 21. Id. c. l.

14. Imago DEI in primo homine fuit donum naturale, *& fuit supernaturale*, medium, *Vtrumq; sano sensu dici potest.* Naturale, *quia naturæ concreata, & naturaliter per generationem in homine propagari debuit.* Supernaturale, *quia non è naturalibus principiis ortum duxit, & ultra communem naturam hominem evehere ac perficere, DEOq; similem reddere debuit.* Imago DEI fuit ipsa substantia hominis, *& fuit accidens leviculum*, Medium, *nec substantia, nec accid. leviculum fuit, sed accidens momentosum, intima hominis perfectio, exornatio, & cum DEO assimilatio, quo perdito homo in larvam Sathanæ transformatus est, gratiâ DEI excidit, & se ac totam posteritatem funditùs evertit.* Imago DEI *prorsùs nihil est, ut* Manichæi, *& jam prorsùs incognita & incomprehensibilis est, ut* Epiphanius, Theodoretus, Guttman, *voluerunt*, Medium, *Aliquid de eâ sciri potest, non omnia.* Primus homo naturâ mortalis fuit, *& immortalis fuit*, medium, *Vtrumq; dextro sensu fuit.* Naturâ mortalis, *naturam animalem ac corpoream nudam considerando*, Immortalis, *eandem totam cum concreatâ imagine divinâ ac peculiari gratiâ DEI spectando. Absolutè quà homo, mortalis, quà integer & DEO similis, immortalis fuit.* V. dec. 2. Misc. d. 10. t. 15. Paradisus

adhuc in terrâ superest, *& non superest*, medium, *totum hoc incognitum est, & distinctè ab homine dici non potest.* Liberum arbitrium adhuc in homine superest, *& non superest, sed totum deperditum est*, medium, *Vtrumq; recto sensu dici potest.* Superest *in actionibus naturalibus, moralibus, civilibus, artificialibus, & externâ pædagogiâ ad conversionem antecedente, sic potest homo templum adire, verbum audire, meditari, inquirere, legere, temporis aliquid impendere, alios de ejus sensu conferre, malitiosos obices removere, non pertinaciter reluctari, contemnere, irridere; Non malitiosè respuere:* Non superest *in merè Spiritualibus & supernaturalibus, Vt velle converti, internam mentis immutationem operari, salutariter audire, amplecti, se ad DEVM convertere, se DEO unire, Cor novum & animam novam sibi facere, Cor lapideum eximere, carneum inserere.*

15. Libertas arbitrii in DEO est, *& non est*, medium, *utrumq; de DEO dici potest.* Est, *sed eminentior ac in homine, & cum plenâ perfectione eam considerando, non ut variis infirmitatibus ac defectibus subiacet, ut in homine, Libera nempè actio spontaneo impulsu suscepta.* Non est, *talis nempè, ut in homine est, quæ discursu nititur, consultationes adhibet, ab objectis externis pendet, variis intercurrentibus difficultatibus impeditur, mutatur, evertitur, & tàm ad bonum, quàm malum indifferens est.* Hoc *non in* DEO, *qui essentialis sanctitas, sapientia, potentia, immutabilitas est, & in bono constans est, & impedimentis averti non potest.* Liberum arbitr. rectè dicitur servum, *& non rectè ita dicitur;* Medium, *Vtrumq; sano sensu ita dici potest.* Servum est *in spiritualibus actibus, ubi*

non ligatum solùm & sauciatum, sed prorsùs impotens ad bonum, venundatum sub peccato est, Joh. 8. v. 34. Rom. 6. v. 17. 20. C. 7. v. 23. In peccato mortuum, Ephes. 2. v. 1. Non in civilibus ac moralibus, ubi libertatem suam residuam habet, etsi & eam valdè peccato corruptam ac infractam. Potest homo non renatus in spiritualibus aliquid boni velle, & non potest velle, sed hoc totum à DEO est, Phil. 2. v. 13. Medium, utrumq; dici potest. Potest velle bonum in externâ pædagogiâ, quæ antecedens & requisitum ad Conversionem, nondum ipsa Conversio ad Deum est, t. 14. Non potest in ipsâ internâ mentis illuminatione, immutatione, conversione, salutari DEI notitiâ, boni spiritualis operatione, mali abdicatione, & similibus. Liberum arbitr. est actus, & non est, sed habitus, potentia, vis, Medium, Certo sensu ex omnibus istis aliquid dici potest. Actus, quà vires & exsertio ac exercitium earum in agendo bono aut malo spectantur, quomodo in pueris & dormientibus non esse lib. arb. dicimus, quia non exserunt liberos actus: Potentia ratione sui principii interni, ubi facultas ad agendum & omittendum in voluntate hominis radicata & supermanens est: Et deniq; habitus concreatus in Adamo integro, quà habitualis ad bonum inclinatio & promptitudo in eo fuit ad consummatum justitiæ originalis habitum in eo pertinens, In renatis habitus per Christum restauratus, in quò quotidiè proficere debeamus.

16. In locis de gratiâ DEI, Prædestinatione, fide, Justificatione, regeneratione, renovatione, Pœnitentiâ, bonis operibus, fidelium cum Christo unione, excessus ac media in sequentibus notari queant. Gratia DEI est unica, & est multiplex, Medium, dex-

tro sensu utrumq; est Vnica *ratione principii, unde manat, bonitatis divinæ, quæ in* DEO *simplex & unica est.* Varia *ratione objectorum, actionum, agendi modorum, exsertionum, effectorum, Circumstantiarum, & similium est. Sic æterna & temporaria, gratis data & gratum faciens, interna & externa, universalis & particularis, ordinaria & extraordinaria, absoluta & ordinata, &c. est.* Gratia DEI universalis, & particularis est, Medium, *de utroq; aliquid est. Communis & ordinaria universalis est, singularis & extraordinaria particularis. Sic non taliter fecit omni nationi,* Psal 147. v. 20. Christus pro omnibus passus est, *& non pro omnibus, sed electis passus est,* Medium, *pro utrisq; passus est. Pro omnibus communiter & sufficienter, pro electis exquisitè & singulariter, ut mors illa salutaris illis evadat & applicetur.* Joh. 10. v. 15. C. 17. v. 19. Tit. 2 v. 14. 1. Tim. 4. v. 10. DEUS vult omnes salvos, *& DEVS tantùm electos vult salvos,* Medium, *Vtrumq; verum est.* Omnes *vult salvos voluntate antecedente & generalis beneplaciti, & quà omnes homines ut peccatores, miseros, ac Creaturas suas respicit: Et vult* tantùm electos *salvos voluntate consequente ac judicii, quà multos gratiam suam pertinaciter aspernaturos, sicq; eâ se indignos reddituros prævidit,* Actor. 13. v. 46. *Eosq; justè perdere decrevit.*

17. Prædestinatio est absoluta, *& non est,* medium, *sano sensu utrumq; est.* Absoluta est, *hoc est, non habet causam aliquam extra* DEVM *ipsum, sed merâ ejus gratiâ nititur, & ratione meritorum nostrorum, quia nullis meritis nostris nixa est, quorum intuitu facta sit, quæ nulla in nobis fuerunt, sed meræ* DEI *gratiæ est, quòd aliquos ad vitam*

ad vitam æternam elegerit: Non eſt ratione ordinis *&* *mediorum, fidei conditionis, reſipiſcentiæ, quaſi DEVS nihil horum in eligendo reſpexerit*. *Sic enim in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis nos elegit*, 2. Theſſ. 2. v. 13. *Eos, qui futuri erant credere*, 1. Tim. 1. v. 16. *Divites in fide*, Jac. 2. v. 5. *Quos enim præſcivit DEVS, hos etiam prædeſtinavit*, Rom. 8. v. 29. Electio ſimpliciter eſt abſoluta, *nullo intuitu Chriſti, vel meriti ejus, vel fidei facta, ut rigidiores* Reformatorum *volunt*, Et eſt intuitu ac prævifione *noſtrorum operum facta, ut vetuſtiores* Pelagiani *voluerunt, extrema, & utrinq; falſa ſunt.* Medium *inter ea verum, Electio in Chriſto facta eſt*, Epheſ. 1. *Fide nempè apprehendendo. Et quos ita prævidit DEVS, finaliter nempè credituros, eos etiam prædeſtinavit*, Rom. 8. Idem in hoc eſt, DEUS abſolutè quosdam elegit, *& abſolutè quosdam rejecit*, Medium, *Omnia agit ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, Epheſ. 1. v. 11. *Cujus rationes ſemper ſunt, etſi nobis non ſemper notæ ſunt.*

In Chriſto ut capite electi ſumus, *& in Chriſto ut medio electi ſum*. Medium, *in Chriſto fide apprehenſo electi ſumus, in quo & dilecti, benedicti, ac redempti ſumus*, Epheſ. 1. v. 3. 4. 7. *In Chriſto autem nemo eſt, niſi per fidem*, Gal. 2. v. 20. C. 5. v. 6. Tit. 1. v. 1. *Sive jam Chriſtum caput, ſive medium, Conditionem, modum, ſive fundamentum electionis appellare velis, dum in fide Chriſti nos à DEO electos eſſe conſtitutum ſit, ſufficit.* Meritum Chriſti ingreditur decretum electionis, *& non ingreditur*, Medium, *Scriptura ita non loquitur, ſed in Chriſto ac fide veritatis nos electos eſſe ait*, Epheſ. 1. & 2. Teſſ. 2. *Quod nobis ſufficit. Si in Chriſto electio facta, & intuitus*

meriti ejus ab electione non planè excludi poterit. Nam & in Christo redemptionem per sanguinem ipsius habemus. Ephes. *1.* v. 7. *Sangvis autem ejus meritoria redemptionis nostræ causa est, & sic meritum subinferri possit.* Prædestinatio & electio Synonyma sunt, *& non sunt*, medium, *prout Prædestinationis vocem latè vel strictè sumpseris, sic synonyma esse, & non esse possunt.* Latè *sumendo non sunt, sed Prædestinatio latior est electione, & reprobationem etiam comprehendit, ut* Augustinus, Anshelmus, Fulgentius, Scholastici *interdum sumunt, & Scriptura inclinat*, Actor. *2.* v. *23. Vnde positi quidam in iram, 1.* Thess. 5. v. 9. Strictè *pro prædestinatione ad vitam capiendo cum electione Synonymum est.*

18. Omnes homines sunt prædestinati, *& non omnes, sed quidam tantùm*, Medium, *utrumq; dici potest. Latè prædestinati, hoc est, dilecti à DEO omnes sunt.* Joh. 3. Ephes. 2. v. 4. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9. *Strictè, hoc est, electi, tantùm pauci,* Matt. 20. v. 16. Infantes ob solum originale peccatum sunt reprobati, *& non sunt*, medium, *Totum hoc non liquet, & judicio DEI committitur*, V. t. 12. Electi gratiâ DEI penitùs excidere possunt, & non possunt, Medium, *Possunt ad tempus excidere, non autem finaliter. Et hoc si* τὸ *penitùs notet, non penitùs excidunt. Si autem totaliter, pro statu nempè præsente, etiam penitùs, sed ad tempus, excidere possunt. Et electi excidere possunt* scil. ex parte suâ, *ut homines, infirmi, vacillantes: Non ex parte DEI, manum suam supponentis, confirmantis, ad gloriam ducentis*, Psal. 37. v. 24. Prov. 24. v. 16. 1. Cor. 1. v. 8. 1. Petr. 5 v. 10. Phil. 1. v. 6. Numerus electorum fatalis est, *& non est*, Medium,

dium; *Certus & DEO notus est, non autem absolutè fatalis, sed certo ordine divino determinatus, cujus omnia specialia solus DEUS novit.* Evangelium toti Orbi annuntiatum est, *& non annunt:* Medium, *In maximâ Orbis parte annuntiatum est, etiamsi non in omnes angulos aut claustra mundi Apostoli devenerint. Dicitur enim toti factum, quod maximæ parti, ut toti communitati ac Reipubl. intimatum, etiamsi uni aut alteri individuo propositum non sit. Et quorsùm vox aut pes Apostolorum non venit, fama eorum venit, Ut de Evangelio aliquid gentes in toto Orbe olim perceperint,* Rom. 1. v. 18. Coloss. 1. v. 6. *Quomodo solus Paulus totam Asiam & bonam Europæ partem Evangelio replevit,* Actor. 19. v. 10. Rom. 15. v. 19. 20. *Cur non 12. Apostoli Orbem implere prædicando potuerint?*

19. Altera pars pœnitentiæ est fides, *& non fides est,* Medium; *Propriè erectio ex fide facta altera pars pœn. est, Ut contritione & erectione velut partibus propriis ea absolvatur. Generaliter autem* fides pro erectione ex fide factâ *dicta est. Quomodo fidem pro ipsâ creditione ex fide factâ dicimus, quæ actus aliquis & exsertio fidei est.* Pœnitentia ab externâ pœnâ nomen habet, *& ab internâ immutatione mentis nominata est,* Medium, *ab utraque nomen habere potest.* Primò *à mentis immutatione,* secundò *à pœnâ, quam homo mentem mutans velut de seipso sumit, vel quam Sacerdos in foro exteriore Ecclesiastico imponit, & homo suscipit.* Biblico *significato mentis immutationem,* Ecclesiastico *pœnam Sacerdotalem notare potest.* Pœnitentia est Sacramentum, *& non est,* Medium, *utrumque de eâ dici potest. Est largo sensu, quia promissionem gratiæ Evangelicæ singulariter recipit & obsignat:*

Non eſt ſtrictè, pro ritu à Chriſto in N. T. ſingulariter inſtituto, gratiam Evangelicam conferente & obſignante. Remiſsâ culpâ manet pœna temporaria luenda, *& non manet*, Medium, *utrumq́ dici poteſt. Manet pœna, ſed largè dicta, id eſt, caſtigatio aliqua à DEO ut benigno Patre filiis incuſſa ſubeunda, non ſtrictè, hoc eſt, propriè dicta pœna à DEO, ut irato judice ac vindice, inflicta. Sic enim erga pios & pœnitentes ſuos filios DEVS non eſt animatus.* Pœnitentia eſt in poteſtate hominis ſita, *& non eſt*, Medium, *utrumq́ verè dici poteſt. Pœnitentia partialiter pro contritione ſumpta in manu hominis eſt, qui conteri & non poteſt, & ut nondum ſalutaris eſt. Sic Iudas, Saul, aliiq́ contriti, ut ultima ſibi inferrent. Totaliter pro contritione & erectione fidei ſimul ſumpta non: fides enim DEI donum & opus eſt*, Joh. 6. v. 29. Coloſſ. 2. v. 12. 2. Theſſ. 1. v. 11. Rom. 10. v. 17. Heb 12. v. 2. *Et ut ſalutaris eſt pœnitentia. Hæc enim divina eſt*, 2. Cor. 7. v. 9 10. Contritio eſt actio, *& eſt paſſio*, Medium, *Eſt certo ſenſu utrumq́. Peccati recordatio, deteſtatio, iræ DEI contra illud meditatio, actiones: timor, horror, angor iræ DEI & judicii, compunctio Cordis, paſſiones ſunt. Vnde & paſſivè de pœnitentiâ Scriptura loquitur*, 2. Sam. 24. v. 10. 2. Reg. 22. v. 19. Pſalm. 51. v. 19. Pſalm. 6. v. 3. Pſalm 102. v. 5. Eſai. 66. v. 2.

20. Confeſſio auricularis eſt ſervanda, *& eſt abolenda*, Medium, *Vtrumq́ de eâ dici poteſt.* Servanda, *ſi ut libera ceremonia, ac in congruum finem adhibeatur, nullâ cultus, meriti, aut ſuperſtitionis opinione, nec ſolicitam omnium peccatorum recenſionem, ut neceſſariam, licita enim eſſe poteſt, ſi ſemper poſſibilis, poſtulet.* Abolenda, *ſi*

ut

ut absolutè necessarium quid urgeatur, aut meriti opinio apud DEUM ei affingatur, aut solicitam omnium peccatorum, quæ memoriæ subeunt, enumerationem necessariò requirat, & non confessum non remissum crepetur, aut aliàs finibus, modis, vel circumstantiis exorbitet. Pœnitentia etiam infantibus competit, *& non competit*, Medium, *utrumq; aliquo sensu dici potest. Pœnitentia* pro *regeneratione, renovatione, sanctificatione, aut partialiter pro fide sumpta infantibus baptisatis omninò competit, Credunt enim*, Matt. 18. v. 6. Marc. 9 v. 43. 1. Joh. 2. v. 14. *Et sic fide purificata Corda eorum*, Actor. 15. v. 9. Pro ipsâ internâ immutatione, *peccati agnitione, detestatione, fideli per gratiam erectione, ac totaliter pro contritione & erectione simùl sumptâ nequaquam. Distinctos enim rationis actus hæc requirunt, qui in infantibus non.*

Fides est notitia, *& fides est fiducia*, Medium, *utrumq; est, & ex utroq; in sacris describitur*, Joh. 10. v. 38. Rom. 4. v. 18. C. 10. v. 14. 1. Ioh. 2. v. 13. 14. C. 4. v. 16. Hebr. 11. v. 1. Est in intellectu, *Et est in voluntate*, Medium, *in utroq; est. Ratione notitiæ in illo, fiduciæ in hac est.* Fides implicita datur, *& non datur*, Medium, *utrumq; verum est.* Datur, *cum non distinctè omnia objecta credenda sciuntur, Virtualiter tamen homo omni DEI Verbo credere paratus est, & sic omnibus objectis, si à DEO revelentur, fidem adhibere velit, etiamsi non omnia distinctè sciat.* Non datur, *hoc est, ut assentiaris alicui, tanquam vero, de quo nullâ ratione quidquam scias aut audiveris, nec distinctè, nec confusè, nec formaliter, nec virtualiter*, Rom. 10. v. 14.

21. Proprium fidei objectum est gratia DEI in

Christo exhibita, *& non gratia, sed omne DEI verbum proprium fidei objectum est*, Medium, *Vtrumq; fidei objectum est, sed diversimodè spectatæ. Fidei in totâ suâ latitudine & exercitio sumptæ objectum est omne DEI verbum, quod recipit, & cui assentitur*, Actor. 24. v. 14. Rom. 10. v. 17. 1. Thess. 1. v. 6. C. 2. v. 13. *In justificationis coram DEO negotio proprium ejus objectum Christus nobis natus, passus, & mortuus, & gratia DEI in Christo exhibita est*, Actor. 15. v. 11. Rom. 8. v. 32. seq. 1. Cor. 1. v. 23. C. 2. v. 2. seq. Gal. 2. v. 16. 20. 1. Tim. 1. v. 15. 2. Petr. 1. v. 16. seq. Ioh. 3. v. 16. Rom. 3. v. 24 seq. Solâ fide coram DEO justificamur, *Non solâ, sed & operibus justificamur*, Medium, *fide per caritatem operosâ justificamur*, Gal. 5. v. 6. *Hoc est, per bona opera se exserente & se vivam demonstrante*, Iac. 3. v. 14. seq. *Non mortuâ & operibus vacuâ. Fidem, quâ justificamur, non solam, sed certo modo instructam, hoc est, operibus fertilem & vivacem esse oportet, Vt*, τò *non solâ fide ad descriptionem fidei pertineat, qualis ea esse debeat, non operum in justificando cum fide concursum & cooperationem.* Iustitiâ Christi imputatâ justificamur, *& justitiâ infusâ ac sanctitate inhærente justificamur*, Medium, *fides nostra in Christum crucifixum, qui justitia & propitiatorium nobis à DEO factus est*, Rom. 3. v. 25. 1. Cor. 1. v. 30. *Nobis reputatur ad justitiam*, Rom. 4. v. 5. Phil. 3. v. 9. *Vel justitia coram DEO seu peccatorum remissio fidei nostræ imputatur, Vt & Abrahamo*, Rom. 4. v. 9. 24. *Et sic Scriptura loquitur, atq; ita nos justificare, hoc est, peccata nobis remittere DEO complacitum fuit*, Rom. 10. v. 3. 2. Cor. 5. v. 21. seq. Sic justitiâ nobis inhærente, *& ipsâ essentiali DEI justitiâ*

justificamur, extrema sunt. Medium, *fides nostra nobis reputatur in justitiam. Nec inhærente, nec DEI essentiali justitiâ justi sumus.* Christus satisfecit *pro nobis, &* *non satisfecit,* Medium, *mercatus nos est, & redemit sanguine suo DEO & Patri suo, & animam suam* λύτρον *ac* ἀντίλυτρον *dedit pro multis,* Matth 20. v. 28. 1. Petr. 1. v. 18. 19. Actor. 20. v. 28. Rom. 3. v. 25. 1. Cor. 7. v. 23. Gal. 3. v. 13. 2. Petr. 2. v. 1. Hebr. 9. v. 12. seq. Apoc. 5. v. 9. *Sic* Scriptura *loquitur, quicquid de termino satisfactionis hic sit, aut non sit, an adhibeatur, vel non adhibeatur, Emphasis Scripturæ observanda, & in eâ fides Christiana fundanda est.*

22. Infantes credunt, *infantes non credunt,* Medium, *utrumq; suo sensu dici potest.* Credunt, *sed non ad modum adultorum, distinctâ ac explicatâ notitiâ, verum ad suum peculiarem modum DEO cognitum, à nobis non explicabilem. Quomodo ad salutem Mariæ Iohannem in utero matris gaudio exsultantem DEUS fecit,* Luc. 1. v. 44. *Ut nemo modum aut specialia ejus explicare valeat.* Non credunt, *si credere ad modum adultorum capiatur, tam distinctâ enim fide eos præditos non esse, certum est.* Christus est objectum fidei primarium, *& est secundarium,* Medium, *Utrumq; est.* Primarium, *ut in se, ratione sui, & ut DEUS spectatur, quomodo inchoator & consummator fidei est,* Hebr. 12. v. 2. Secundarium, *Ut ratione Patris, & ut homo spectatur, ubi à Patre omnia habet, quæ habet,* Ioh. 5. v. 26. *Et pro quo Legatum in negotio salutis apud nos agit, ac à quo mandatum accepit, quod exsequatur,* Ioh. 7. v. 16. seq. C. 10. v. 18. 29. 36. C. 12. v. 49. C. 14. v. 31. *Per quem nos ad Patrem venire, & in eum*

credere debemus, Joh. 14. v. 6. 2. Cor. 3. v. 4. 1. Petr. 1. v. 21. Hebr. 7. v. 25. Obœdientia eſt fidei forma, & non eſt, Medium, *eſt utrumq́*. Eſt forma, *quà largè obedientia ſumitur & forma, fides enim obedientia aliqua eſt erga DEVM, & ſic frequenter in ſacris obedientia fidei dicitur*, Rom. 1. v. 5. C. 6. v. 17. C. 16. v. 26. C. 15. v. 18. Hebr. 5. v. 9. *Et ipſa obedientia vocatur*, 2. Cor. 10. v. 5. 1. Petr. 1. v. 2. *Ac DEI præcepto obeditur, cum creditur, nam & hoc præceptum ejus eſt*, Joh. 6. v. 40. 1. Ioh. 3. v. 23. Non eſt, *ſi obedientia ſtrictè ſumatur, ut opus aliquod ex fide profectum. Sic enim conſequens fidei eſt, non forma, quæ conſtituens quid rei eſt. Et ſic fidem ac opera Scriptura ſæpiùs disjungit*, Rom. 4. v. 5. C. 11. v. 6. Tit. 3. v. 4. 5. Iac. 2. v. 14. ſeq. *Vt incredulitas fons operum malorum*, Col. 3. v. 5. ſeq. Hebr. 3. v. 12. C. 4. v. 2. *Sic fides bonorum*, Gal. 5. v. 6. Conf. t. 23.

23. Fides poteſt eſſe ſine bonis operibus, *& non poteſt eſſe*, Medium, utrumq; dici poteſt. *Sine operibus eſſe poteſt, quantum ad nudam ſuam eſſentiam, quæ non opus aliquod, ſed ei contradiſtinctum eſt, & ſic nudè in ſeſe ſpectata in illâ contradiſtinctione non poteſt opus aut cum operibus eſſe, ſed radix eorum eſt, unde illa manare debent:* Et non poteſt ſine illis eſſe *quantum ad vim & ἐνέργειαν, fructum & conſequens ejus, quod neceſſariò opera eſſe coguntur. Quomodo arbor bona nunquam ſuo tempore ſine fructibus eſſe poteſt, etſi in abſtractâ ſuâ eſſentiâ ſine illis cogitari & ſpectari poſſit, illisq́; contradiſtinctè ſpectetur, ut fons & origo fructuum, & fructus, ut effecta ac conſequentia ejus.* Sic poteſt ſeparari à Caritate, *ſcilicet per rationem*

tionem, *& præcisivè in seipsâ spectari*, & non potest *scil. per rem*, *& in vigore ac vitâ suâ spectata*, *Vt viva fides sit*, *& realiter caritate ejusvè affectu careat.* Fides caritate formatur, & non formatur, Medium, *utrumq́ diverso sensu dici potest.* Formatur *Caritate*, *τὸ formari latè sumendo*, *à posteriori perfici*, *ut ad hominem vera & viva ostenditur ac demonstratur per caritatem & opera*, Iac. 2. v. 10. Non formatur, *τὸ formari strictè usurpando pro à priori & essentialiter constitui. Sic enim non Caritate*, *quæ fructus & consequens fidei est*, *sed propriâ suâ essentiâ*, *notitiâ*, *assensu*, *& fiduciâ*, *constituitur: Imò tanquam accidens est ipsa forma & quidditas in seipsâ*, *Non aliam formam habet*, *quâ formetur*, *Quomodo accidentia ipsæ ultimatæ formæ sunt*, *quibus alia formantur*, *non ipsa ulteriores formas habent.* Fides est electorum propria, *& fides etiam renatorum ac ad tempus credentium est*, Medium, *Vtrumq́ est.* Fides scil. ad finem usq; perseverans est *solorum electorum propria*, *finaliter enim hi credunt & salvantur.* Sed fides scil. ad tempus durans, *etiam est renatorum ac temporariorum propria*, *qui ad tempus credunt*, *& tempore persecutionis desciscunt*, Luc. 8. v. 13. Conf. t. 24. *Sic illud* Lutheri, Rund und rein alles gegläubet / oder nichts gegläubet / V. de Conciliando, t. 34. Medium *admittit*, oder etwas gegläubet / etwas nicht / V. c. l. t. 35. *Necessaria credenda*, *In non necessariis hærere interdum licet*, *aut ἐπέχειν arripere. Sic de traduce animæ variisq́ specialibus quæsitis Theologicis.* V. Tr. de non liquendo, t. 3. seq.

24. Verbum Iustificare in art. justificationis coram DEO forense significatum habet, *& à peccatis*

absolvere

abſolvere notat, & Phyſicum ſignificatum habet, ac inhærenter juſtum & ſanctum facere notat, Medium, utrumq; notare poteſt. Sed illud Biblico uſu ac ſignificato, ubi in juſtificationis materiâ peccata remittere, & ab illis abſolvere notat: Hoc Eccleſiaſtico, Patrologico, & Scholaſtico. V. Auguſtin. in Pſal. 30. Et L. 2. de peccat. mer. C. 33. De Sp. & lit. C. 26. Et Ep. 106. 120. Alibiq;. Vox juſtus interdùm inhærentem juſtitiam in ſacris notat, Luc. 1. v. 6. Rom. 6. v. 18. 19. Sed juſtificare vix. Solâ fide juſtificamur, & operibus etiam juſtificamur, Medium, utrumq; verum eſt. Solâ fide juſtif. coram DEO & in foro poli. Ubi non operanti, ſed credenti, imputatur fides ad juſtitiam. Rom. 3. 4. 11. Gal. 2. 3. Non ſolâ, ſed & operibus, coram hominibus & in foro ſoli, ubi oſtendenda ac demonſtranda eſt noſtra juſtitia, quod ex fructibus fidei, qui opera, faciendum, Iac. 2. v. 14. ſeq. V. t. 21. Diſpoſitiones quædam antecedentes ad juſtificationem requiruntur, ſine quibus adultus ordinariè non juſtificatur, & nullæ requiruntur, Medium, Utrumq; verum eſſe poteſt. Diſpoſitiones quædam requiruntur ratione ordinis, quem DEUS in juſtificando ſervat, ut de peccato dolere, ab eo abſtinere, Deum vindicem ejus cenſere, Vitam in melius mutare proponere: Sed non requiruntur ratione meriti de congruo aut condigno, quaſi juſtificationem per eas aliquâ ratione mereri poſſimus, Cum ex merâ DEI gratiâ illa nobis obtingat, non juſtitiâ aliquâ, quâ DEUS eam conferre teneatur. Quod & quidam Pontificii apertè fatentur, Ut Becanus Enchir. Var. diſp. d. 3. & p. 3. Theol. Schol. tr. 1. C. 18. q. 1. Aliiq;. Conf. t. 26. Peccata in juſtificando teguntur, & totaliter extinguuntur ac abolentur, Medium, Utrumq; verum

verum est. *Reatus peccatorum totaliter aboletur, materiale & impuritas manet, sed per gratiam non imputatur, verùm tegitur,* Psal. 32. v. 1. 2. Rom. 4. v. 7. Iustificatio est solorum electorum, *& est etiam aliorum regenitorum,* Medium, *Vtrorumq́ simul est.* Electorum, *inprimis & tanquam subjectorum exquisitorum, inprimis & specialiter* DEO *cognitorum ac dilectorum:* Aliorum renatorum, *ut subjectorum accedentium & secundariorum, qui gratiam ad tempus accipiunt, & postea excutiunt, eoq́ non inter specialiter* DEO *præscitos computantur,* Rom. 8. v. 29. V. t. 23. Obedientiâ Christi activâ *justificamur, & passivâ seu morte & passione justificamur,* Medium, *Vtraq́, & sic totâ obedientiâ Christi, tàm vitæ, quàm mortis, justificamur. Vt non sibi, sed nobis natus & datus est,* Esa. 9. v. 6. *Sic nec sibi, sed nobis sanctè vixit & mortuus est. Vnde & sanctam vitam pro nobis actam docet Scriptura,* Joh. 4. v. 34. C. 6. v. 38. 39. C. 17. v. 19. Rom. 5. v. 19. C. 8. v. 3. seq. Gal. 4. v. 4. 5. 6. 1. Cor. 1. v. 30. 1. Petr. 2. v. 21.

25. Vnio nostri cum Christo est essentialis, *& non essentialis, sed spiritualis,* Medium, *terminus essentialis ambiguus est. Si essentiale* idem ac verum & reale, *quod realem & non fictam aut cogitatam tantùm essentiam habet, notat, Vnio essentialis dici potest. Vera enim, realis, & minimè ficta aut commentitia unio est. Habitat enim DEVS in fidelibus, ut templis suis,* 1. Cor. 6. v. 19. 2. Cor. 16. v. 16. seq. *Eoq́ verè illis unitus,* Joh. 17. v. 21. *Si modum & qualitatem unionis notet, quasi essentialis rationis ac modi sit, quomodo anima suo Corpori essentialiter unita est, non essentialis, sed mystica, spiritualis, & supernatura-*

lis est. Vt de Commun. Sanctor. C. 2. t. 26. dicam: Renovatio & regeneratio eadem sunt, *& non sunt*, Medium, *Vtrumq; diverso sensu dici potest. Regeneratio est idem cum renovatione, si illam pro quavis ad bonum immutatione voluntatis sumas, ut interdum sumi solet, & ante certamina* Weigeliana, Svencfeldica, ac Fanatica *promiscuè termini à Theologis usurpati sunt:* Non, si *strictiùs illam pro spirituali novæ vitæ conciliatione sumas, quà è Spiritu Spiritus renascitur, ut Caro è carne corruptâ homo natus est*, Joh. 3. v. 6. *Renovationem autem pro novarum virium infusione, & sanctimoniæ in hominem immissione accipias, è quâ deinde sanctæ operationes ut effecta ac consequentia manent.* Regeneratio *facit arborem vivam & rectam*, renovatio *fructus fundit, & vitam ostendit ac promit. Regeneratio vivum, renovatio fructuosum facit. Illa novam Creaturam*, 2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15. *Hæc novam culturam facit, quà in novitate vitæ ambulatur*, Rom. 6. v. 4. *Vnde in spiritu vivere, & ambulare, Scriptura distinguit, ut antecedens & consequens*, Gal. 5. v. 24.

26. Infantes sunt regenerati *& non sunt*, Medium, *Vtrumq; justè asseritur. Sunt è spiritu in spiritum renati*, Joh. 3. *Vnde salutis participes fiunt*, Matth. 18. v. 3. C. 19. v. 13. *Non sunt, si regenitus is dicatur, qui opera regeniti præstat, & in novitate vitæ ambulat. Quod infantes per infirmitatem naturæ nondum possunt.* Renati implent legem, *& non implent*, Medium, *Vtrumq; verum est. Implent in Christo, qui pro ipsis implevit, & cum quo ipsi per fidem crucifixi, in quâ & vivunt*, Gal. 2. v. 19. 20. C. 3. v. 13. *Ac quoad inchoatam obedientiam, quam congruè ad legem præstant, ut infirmitates adhærentes* DEVS *æquitate Evan-*

gelicâ non imputare velit: Non implent in semetipsis, & obedientiâ rigidâ, omnibusq; numeris absolutâ, qualis à lege requiritur, Vt ne in uno titubent, Jac. 2. v. 10. *Hæc homini in hac vitâ impossibilis est*, Rom. 8. v. 3. Iac. 3. v. 2. Sic bona opera renatorum sunt perfecta, *& sunt imperfecta*, Medium, *Vtrumq; diverso sensu dici potest. Perfecta Evangelicè in Christo, & secundùm æquitatem aliquam spectata: Non sunt legaliter, prout in ipsis renatis sunt, ubi varia imbecillitas adjacet, & secundùm legis rigorem & accurationem expensa ac judicata.* Bona opera merentur, *& non merentur*, Medium, *Vtrumq; dici potest. Merentur largè meritum vocando, pro consequuntur, Quomodo* Patres *interdùm loquuntur: Non merentur strictè, ut vi justitiæ DEVS opera retribuere cogatur. Quomodo in civilibus meremur aliquid. Sic enim apud DEVM homo nihil mereri potest, Cum totus ei ut Creatori jam obligatus sit*, Luc. 17. v. 10. V. t. 24. Conversio est opus humanum, *& divinum*, Medium, *Vtrumq; dici potest.* Humanum, *quia in homine, & pro eo expeditur, Ejus enim est immutatio. Non quòd humanarum virium sit.* Divinum, *quia à DEO in homine expeditur, & divinæ vires per eam homini conferuntur, Vt virtute DEI à peccatis resurgat, & ad DEVM se convertat, veluti si à morte in vitam divinâ ope quis revocetur.*

27. In Locis de Ecclesiâ, ejus capite, regimine, Oecumenico Pontifice, Conciliis, Disciplinâ Ecclesiasticâ, AntiChristo, *in sequentibus extrema ac media animadverti queant.* Ecclesia est visibilis aliquis coetus, *ut Respubl. Veneta, Et Ecclesia etiam est invisibilis, ut tempore Eliæ in Israële*, Medium, *Ecclesia partim est*

visibilis, ratione externæ aggregationis, professionis, communionis, & ubi status pacatus ac extra persecutionem est, Partim *invisibilis, ratione internæ gratiæ & pietatis, quam DEVS novit, & tempore persecutionum, ubi externi cœtus sæpè disperguntur, ut vix extrà appareant.* Aliquid est visibile *in Ecclesiâ, Vt cœtus, ordo, disciplina, administratio*, aliquid invisibile, *ut gratia, devotio, interna spiritualis communio, Vt utramq; denominationem Ecclesia ferre possit.* Ecclesia est in fide infallibilis, *& in fide errare potest*, Medium, *Vtrumq; distinctis distinguendis de eâ dici potest. Ecclesia* tota & Catholica *ac universalis est infallibilis, & à fide verâ non deficit. Semper enim DEVS hic aliquam Ecclesiam verè ipsum agnoscentem ac colentem habet, quæ veritatem* DEI *servet ac defendat. Sed* particularis, *hæc aut illa, errare potest, & à fide totaliter deficere, ut à verâ in falsam ac hæreticam Ecclesiam degeneret.* Catechumeni sunt de Ecclesiâ, *& non sunt*, Medium, *Vtrumq; verum est. Sunt de Eccles. universali & membra, ut credentes. Ecclesia autem universalis est cœtus credentium, Ierusalem illa, quæ de sursum, quæ omnium nostrûm mater*, Gal. 4. v. 26. *Non sunt de particulari & visibili aliquo cœtu, in quem nondum actu & solenniter recepti sunt, sed recipiendi.* Schismatici sunt membra Ecclesiæ, *& non sunt*, Medium, *malitiosi ex merâ malitiâ ac pertinaciâ Ecclesiæ unitatem rumpentes & turbas cientes non sunt membra: Sed infirmi ex infirmitate errantes, aut scandalis quibusdam commoti, benè membra esse possunt. Tales enim suscipiendi, non ejiciendi*, Rom. 14. v. 1. seq. *Sic qui Pauli, Cephæ, Apollo, esse volebant*, 1. Cor. 1. v. 12. C. 3. v. 4. Excommunicati sunt membra Ecclesiæ, *& non*

non sunt, Medium, *Iure excomm. non, sed injustè benè membra veræ Christi Ecclesiæ esse possunt. Sic enim & Apostoli à Pharisæis excommunicati*, Ioh. 9. v. 22. 34. C. 16. v. 2. *Et viva Ecclesiæ membra erant.*

28. Papa est Christi in terris vicarius, *& caput Ecclesiæ secundarium, & est ipse magnus AntiChristus, ac perpetuus Christi adversarius, extrema sunt.* Medium *hic esse queat*, est Episcopus Romanus, *primus in Orbe jure humano, & longi temporis præscriptione, plantator etiam variarum Ecclesiarum in Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, unde aliquam in eas jurisdictionem obtinere potest.* Nec *Christi præcisè Vicarius, quo Christus non eget, ut ipse suæ Ecclesiæ præsens*, Matth. 18. & 28. Nec *insignis ille AntiChristus, Cum & ipse Evangelium de Christo prædicari curet, etsi non sine corruptione adjacente, nisi impietate doctrinæ, morum, & persecutione in innoxios Christianos palàm se talem gerere & facere velit, ut posterioribus seculis in Ecclesiâ Christianâ factum esse palàm est.* Nec nos Papam AntiChristum, ut Papam præcisè *dicimus, Cum & prioribus seculis Papa fuerit, ut* Cypriani *tempore, nec AntiChristus: Sed ut successu temporum à priscâ veritate & sinceritate doctrinæ secessit, eamq; horribiliter persequi & evertere cepit, quod ab initio sic non fuit.* Sæpè *etiam AntiChristum Romæ quærimus, & quem in proprio pectore gestamus, non satis animadvertimus.* Ut de corrupt. fidei, t. 19. dicam. Hutterus *in hoc dogmate de Papâ AntiChristo Verbum suspicabimur usurpat*, L. C. p. 579. b. *Alii fidem non salvificam, sed Historicam hoc concernere ajunt, Vt* Saxonici apol. c. Forer. C. 86. Carpzovius vindic. c. Dilling. t. 16. 55. Aliiq;. Papa est universalis in-

fide Iudex, & *generalis in fide impostor ac seductor*, Medium, *Neutrum ex duobus, sed Episcopus suæ Vrbis, judex eorum, quæ ad se pertinent, & judicat, ut alius Ecclesiæ doctor aut Præses de rebus sibi cognitis*, V. t. 2. *Nec generalis in omnibus judex, nec præcisè in omnibus seductor, aliquam enim adhuc veritatem fidei retinet, Vt* de Trinitate, *Christi duabus naturis, Creatione, Providentiâ, mortuorum resurrectione, Christi morte, passione, resurrectione, ascensione, ad judicium visibili reditu, & similibus.* Angeli sunt Ecclesiæ membra, & *non sunt*, Medium, *Certo sensu utrumq; sunt.* Sunt membra, *si Ecclesiam latè pro quovis DEVM colentium cœtu sumas, sivè ex hominibus, sivè ex spiritibus constet, etiam ut ante lapsum homines extiterunt, & post hanc vitam in cœlo futuri sunt*: Non sunt, *si strictè pro cœtu hominum in peccata lapsorum, & ad Civitatem DEI vocatorum capias. Sic enim nec per Verbum vocantur, nec prædicatione Verbi egent, nec administratione Sacramentorum utuntur, nec fidem eam in Mediatorem habent, quam nos*, V. Michael. c. 63. *Nec hic ita in Ecclesiâ militare opus habent, ut homines, nec deniq; à militante in triumphantem transferuntur, ut homines, qui hic militaverunt. Custodes & fautores conjunctissimi illius cœtus, qui Ecclesia dicitur, sunt, non propria membra.*

29. Lutherani & Reformati in fundamentalibus dogmatibus uniri, & *non uniri possunt.* Medium, *Vtrumq; dici potest, Si certa distinguantur.* Possunt uniri, *si quædam dogmata omittantur, aut moderatiùs proponantur, Vt de ubiquetate, absoluto decreto, particulari gratiâ, redemptione, & vocatione, reali Corporis Christi à Cœnâ absentiâ*: Non possunt, *si extrema utriusq; partis dogma-*

ta

ta rigidè teneantur & propugnentur, nihilq́; de rigore remittatur. Vt d. Conciliat. t. 4. seq. dicam. Soli electi sunt viva Ecclesiæ membra, *& non soli, sed & alii renati vera membra sunt,* Medium, *Vtrumq́; dici potest. Sunt membra, nempè principalia & exquisitiora: Non sunt, ut alii penitùs inde excludantur.* Ecclesia latè *est cœtus omnium vocatorum:* Strictè *est cœtus credentium, & DEO verâ fide adhærentium;* Strictissimè *est cœtus solorum electorum, ad finem usq́; in fide perseverantium, & salutem certò ac immotè consequentium. Hoc sensu Ecclesiam sumendo soli electi vera ejus membra sunt.* Extra Ecclef. salus, *& non est,* Medium, *Vtrumq́; certo sensu asseri potest. Extra eam scil. nondum constitutam, ut sub Adamo ac Evâ fuit, qui strictè Ecclesiam nondum fecerunt, sed principium ejus virtuale, Vt* de commun: Sanctor. C. 3. t. 6. *dictum, salus esse potest, Vt si Adam & Eva in Cœlum translati fuissent, Et si DEVS extraordinariè operari, ac immediatè aliquem illuminare & vocare velit: Non est, ubi nempè Ecclesia jam constituta est, & ordinariùs convertendi modus observatur, nihilq́; miraculosi à DEO interjicitur.* Petrus est fundamentum Ecclesiæ, *& non est,* Medium, *distinguendo vocem fundamenti utrumq́; dici potest. Est, si fundamentum notet illum, qui in Ecclesiâ super doctrinâ Christi plantandâ & fundandâ totus occupatur, Quomodo omnes Apostoli fundamenta vocari possunt,* Ephes. 2. v. 20. Apocal. 21. v. 14. *Non est, si propriè id notet, quod totum Ecclesiæ ædificium sustentat, quo stante stat, nutante nutat, ruente corruit. Hoc sensu solus Christus fundamentum,* 1. Cor. 3. v. 11.

30. Pontifex R. etiam in temporalibus jurisdi-

ctionem

ctionem obtinet, *& non obtinet*, Medium, *distinguantur temporalia & jurisdictiones. & utraq; assertio vera erit.* Obtinet *jurisdictionem in temporalibus, scil. in terris sibi donatis, aut aliàs jure acquisitis, & quarum justus possessor ac Dominus est, prout* & Episcopi in Germaniâ *terras ac ditiones habent, in quibus imperant, & jure humano Principes Imperii Rom. sunt: Sed quam jurisdictionem satius agat, si per alios, quàm semetipsum exsequatur:* Non obtinet, *scil. in terris alienis imperiis subjectis, aut totâ mundi hujus Ecclesiâ, aut omnibus mundi ditionibus & regionibus, ut reges & principes deponere, exauctorare, aut ditiones aliis assignare possit: Nec ut immediatè eam exsequatur, sed intervenientibus aliis administris. Quomodo Comes aut Nobilis villas habens, si Theologus sit, & Theologicis operari velit, villarum curas ac civilia per alios administrat. Non debent quidem Episcopi negotiis secularibus se implicare, ut placeant ei, Cui se probaverunt,* 2. Tim 2. v. 4. *Interim, quia communis mos inter Christianos est, ut Episcopus simul sit Princeps Imperii, ut Germania, Gallia, Hispania, Polonia, exemplis probant, indeq; & jurisdictiones temporales exerceant, non potest soli Papæ id in præjudicium opprobrari.* In Civitate DEI longè aliis moribus vivendum esset. *Sed quæ mutari non possunt, & in leges velut Imperiorum diuturnâ consvetudine abierunt, ferri coguntur.* Præses Conciliorum legitimus est Pontifex R. *Et non Papa, sed Imperator aut Rex præses est,* Medium, *Præses est Papa, sed usu & præscriptione longi temporis inductus ac factus, & conniventiâ Regum Christianorum vel adulatione Episcoporum eò provectus, non autem jure divino vel aliàs conveniente, eò delatus.*

31. Con-

31. Concilium est supra Papam, *& infra eum*, Medium, *est utrumq;, prout Circumstantiæ loci, temporum, modorum, personarum, Conciliorum, ditionum, aliarumq; rerum ferre velint. Et Provinciale non erit supra eum, sed infra: Generale esse poterit, nisi præscriptione diuturnâ aliter occupatum fuerit, aut aliàs Circumstantiæ sint, quæ impediant.* Concilium potest decidere de rebus religionis, *& Concilium saltem discutere ac ventilare eas debet*, Medium, *Concilium utrumq; præstare potest, si viris doctis sufficienter instructum sit. Sed si id minùs, satius ventilare ac discutere erit, & decisionem ultrà differre, quàm præcipitare.* In disciplinâ Ecclesiasticâ nihil committendum est Magistratui Politico, ut Photiniani, *& omnia illi committenda, Ut* PseudoPolitici *volunt, extrema & falsa sunt.* Medium *verum, aliquid magistratui, quoad exterioris fori & civilis pœnæ aut executionem spectans, Quomodo Saul ariolos ditione pepulit,* 1. Sam. 28. v. 9. *Aliquid Ecclesiasticis personis committendum, ut clavem ligantem adhibere, communionis usu arcere, indignum sacris judicare, spiritualiter excommunicare. Sic.* A disciplinâ Ecclesiasticâ omnis vis coactiva abesse debet, *& nulla ab eâ abesse debet, extrema & falsa sunt.* Medium, *aliqua vis coactiva abesse, ut Carnalis, violenta, nimia, tyrannica, non enim arma Ecclesiæ carnalia sunt,* 2. Cor. 10. v. 4. *Aliqua adesse debet, ut spiritualis & interna, quæ valida, & ad eversionem munitionum sufficiens sit,* c. l. *Sic cogere ingredi*, Luc. 14. v. 23. *Et competens Magistratus externè coërcentis vis, quà abscindatur, & è cœtu reus ejiciatur ac expurgetur,* Gal. 5. v. 10. 12. 1. Cor. 5. v. 13. 3. Joh. v. 10.

32. Disciplina Ecclesiastica consistit in voluntariâ subductione *ab inordinato homine*, *& consist. in ejectione inordinati è cœtu*, Medium, *in utroq; consistit, unde utroq; modo de eo Scriptura loquitur*, *Et se subducere*, Rom. 16. v. 17. 2. Thess. 3. v. 6. *Et à se repellere*, 1. Cor. 5. Gal. 5. c. 1. Presbyterium Ecclesiasticis & Politicis constans jnventum merè humanum est, *& constitutio divina est*, Medium, *aliquid de humano & divino participat. Iam Apostoli simile quid constituerunt*, Actor. 6. v. 2. seq. 1. Tim. 5. v. 17. *Inde origo rei divina est, etsi formale & constitutio ipsa ab homine esse possit. Sic magistratus origine divinus*, Rom. 13. v. 1. 2. *Etsi electio aut constitutio ab homine sit*, 1. Petr. 2. v. 13. *Quanquam & hoc in loco omnis homo vel Creatura humana intelligi possit, quæ jus in alium habeat, sivè Magistratus, sivè quivis alius superior sit, ut seniores, parentes, præceptores.* Excommunicatio justè in N. T. retinetur, *& inventio humana, noxia, ac Caritatis præcepto in N. T. contraria est*, Medium, *Excomm. in extremâ necessitate in notorios, publicos, ac præfractos peccatores justè exercetur, Vbi frustra antea omnia tentata sunt, quæ regali caritatis lege*, Jac. 2. v. 8. *tentari potuerunt & debuerunt.* Excommunicatio separat hominem à DEO, *& separatum esse tantùm declarat*, Medium, Primò *seipsum peccator à DEO separat, & unionem cum DEO solvit*, Esai. 59. v. 2. 1. Joh. 1. v. 6. C. 3. v. 8. *Et hoc non facit excomm: sed peccatum enorme proprium:* Secundò *& per excomm. separatur, peccata ejus retinentur*, Matth. 16. v. 19. *Satanæ traditur*, 1. Cor. 5. v. 5. *Ab audiendo DEI verbo, sigillorum usu, Sanctorum communione & cœtu arcetur, quod etiam à DEO separari est,*

sed

sed secundarium. Peccata ministro in Confessione revelata silere oportet, *& revelare licet*, Medium, *Vtrumq; pro diversitate Circumstantiarum & peccatorum, ac revelationis qualitate licet.* Silenda sunt, *si privata, & nulli alteri peccata noxia sint.* Revelanda, *si in aliorum perniciem vergant, ut urbem prodere, Magistratum aut alium occidere, venena spargere, ignes immittere: Sed ut homo, qui confessus est, non retegatur.*

33. In Locis de statibus, ut Ministerio, Magistratu, Conjugio, Clericis, Laicis, *sequentia quà extrema & media annotari queant.* Ad ministerium opus est distinctâ hominis vocatione, *& non opus est*, Medium, *Vtrumq; verum esse potest. Opus est, ubi Ecclesia constituta est, & vocans haberi potest, qui jus Patronatus habeat, & exerceat. Non opus est in extremâ necessitate, Vbi Ecclesia primùm colligenda est, & nullus est, qui vocet, ubi citra vocationem prædicare & Sacramenta administrare ei, qui se idoneum sentit, licet.* V. Actor. 8. v. 4. C. 11. v. 19. C. 18. v. 24. Conf. t. 37. Vox Cleri ad solos ordinis sacri homines determinanda, *& toti populo fidelium tribuenda*, Medium, *Distincto vocis sensu utrumq; agere licet. Solis spiritualibus tribuenda usu vocis Ecclesiastico, Patribus usitato, & sensu aliquo exquisitiore, etiam Scripturis usitato, quæ cleri vocem ad eos etiam determinant.* Actor. 1. v. 17. *Toti Ecclesiæ usu Biblico & communiter in eo obtinente*, Col. 1. v. 12. 1. Petr. 5. v. 3. Jus vocandi solis Episcopis & Prælatis competit, *& soli Magistratui Politico competit*, Medium, *Toti Ecclesiæ competit, quæ id per primores, delegatos, & magistratus quandoq; exserit, quandoq; per seipsam totam exsequitur. Omnium*

quod est, ab omnibus ordine expediri debet. Septem sunt ordines sacri, *& duo tantùm sunt,* Medium, *Vtrumq; diversâ constitutione, modo, & tempore esse potest. Olim varii fuerunt: Non tamen semper iidem, aut æq; multi. Duo principales, plures secundarii esse possunt. Diversi etiam apud Apostolos fuerunt. Sed quot præcisè, & quales, nuspiam constitutum legitur.*

34. Distincti gradus dignitatis in Ministerio sunt, *& nulli sunt,* Medium, *Sunt distincti gradus quà dona, eruditionem, & ordinis prærogativam, Vt unus superioris, alter inferioris ordinis sit, Vt in V. T. Summus Sacerdos, & inferiores Sacerdotes, Levitæ, & similes,* Num. 8. v. 6. seq. 1. Chron. 23. v. 1. 2. seq. *In Novo Apostoli, Pastores, Doctores,* Ephes. 4. v. 11. seq. *Ordine enim omnia in Ecclesiâ fieri debent,* 1. Cor. 14. v. 40 *Non sunt quà authoritatem & potestatem essentialem, Vt prædicandi, Sacramenta administrandi, peccata solvendi aut ligandi, in quibus omnes ministri pares sunt, aut jurisdictionem subjectionis & coactionis. Vel absoluti alicujus dominii, Vt superior velut Magistratus, inferior servus & subditus sit, talem enim dominatum Christus prohibuit,* Luc 22. v. 26. *Aut tyrannidem Pontificiam, quà unus absolutus dictator sit, reliqui absolutè parere cogantur. Sic enim etiam summus ministrorum directioni summi Magistratus civilis subiacet, & omnes Christo, ut absoluto domino subsunt. Nullus minister absolutus est.* Apostolatus adhuc in Ecclesiâ durat, *& non durat,* Medium, *In donis communibus adhuc durat, ut vi prædicandi, sacra administrandi, peccata ligandi & solvendi: Non in singularibus, ut vi mira patrandi, ubiq; in toto Orbe verbum prædicandi, Veritatem absolutè sine ullo errore*

proponendi,

proponendi, à Christo ipso in carne viso & audito doctrinam hauriendi. Episcopus jure divino superior presbytero est, *& non est*, Medium, *Iure divino, non primario & expresso, sed secundario & virtuali est, quà ordinem aliquem & potestatem in alios, quà Pastores ordinare, in vitam eorum inquirere, officii eos commonere, Causas eorum cognoscere ac decidere queat. Hæc enim à Tito & Timotheo Episcopis requirit Apostolus*, 1. Tim. 5 v. 19. seq. Tit. *1*. v. 5. seq. *Non autem potestatem absolutam aut coactionis in presbyteros, ut hi absolutè ab illo dependere cogantur, ut apud Pontificios.*

35. Clerici debent cœlibes esse, *& debent conjugati esse*, Medium, *possunt cœlibes esse, si donum se continendi habeant, & constitutione humanâ cœlibatus annexus est, non divinâ, quâ & cœlibes, & conjugati esse possunt, neutrum præcisè jussum aut prohibitum, eoq; indifferens relictum est. Quod autem Scriptura indifferens relinquit, homo imperare, aut prohibere in talib. nequit.* Svaderi cœlibatus *& requiri in clericis, ut valdè conveniens, potest, sed* imperari *aut imponi ut necessarius non debet. Quivis enim donum proprium habet*, 1. Cor. 7. v. 7. 17. 24. 35. *Et cœlibatum non omnes capiunt, sed quibus datum est*, Matth. *19*. v. *11*. Clerici sunt subjecti Magistratui Civili, *& non sunt*, Medium, *Vtrumq; verum est. Sunt in civilibus rebus, ut membra unius Reipubl. simul in unâ Societate degentia: Non sunt in immediatâ officii sui potestate, ut prædicandi verbum, Sacra ministrandi, peccata solvendi & ligandi, sic enim immediatè Christo subjecti sunt, à quo potestatem illam acceperunt & habent, nulli civili Magistratui, qui eam dare nequit, cum ipse non habeat.* Bona Clericorum jure

à civilibus oneribus exempta sunt, *& non sunt*, Medium, *Vtrumq́; dici potest. Sunt liberalitate Regum & Principum, & jure Civili ac Canonico: Non sunt divinâ aliquâ constitutione, aut lege in N.T. positâ vel repetitâ.* Licitè Clerici salaria pro muniis suis sumunt, *& non sumunt*, Medium, *Vtrumq́; dici potest. Licitè sumunt, si laborent, dignus enim operarius mercede suâ*, Matth. 10. v. 10. Luc. 10. v. 7. 1. Cor. 9. v. 7. seq. *Et Ecclesia solvere possit. Nun sumunt, si nec laborent, aut se gratis laboraturos promiserint, aut paupercula Ecclesiæ conditio solvere non admittat. Hic enim compatiendum cum Ecclesiâ, & beatius dare, quàm accipere, cogitandum*, Actor. 20. v. 33. seq. Item, decimas jure sumunt, *& non sumunt*, Medium, *Vtrumq́; verum. Sumunt, ubi moris est, & Ecclesia in decimas dandas consensit. Non sumunt, ubi non moris, aut Ecclesia indè ingens gravamen ac damnum sentiat. Sic enim aliis stipendiis contentos esse oportebit.*

36. Consilia Evangelica dantur, *& non dantur*, Medium, *Vtrumq́; verum.* Dantur, *si per consilia gnomæ & sententiæ quibusdam inculcatæ intelligantur, & quæ imperatis æquipolleant in illis, quibus inculcantur, etsi non promiscuè omnibus dentur, ut aliàs præcepta solent. Sic virginitas capi jubetur ab eo, qui capere potest*, Matth. 19. v. 12. *Et prout DEVS donum alicui partitus est*, 1. Cor. 7. v. 17. 20. 24. *Et peculiarium meritorum opinio illis non adscribatur.* Non dantur, *si perfectionis consilia esse dicantur, quæ svasa tantùm & consulta, non imperata etiam illis, quibus data sint, quasi homo per ea gratior, perfectior, justior, apud DEVM evadat, ad Cœlibatum, paupertatem, & obedientiam Monachalem perpetuam præcisè restringantur,*

tur. Hæc enim nec ſvaſa, nec præcepta ſunt, ſed traditiones hominum ſunt, continensq́ in ſacris etiam in conjugio vivens dicitur, Tit. 1. v. 6. 8. *Omnibusq́ imperata eſt continentia, tam cœlibibus, quàm conjugatis*, 1. Theſſ. 4. v. 3. 4. *Meritoria vitæ æternæ eſſe doceantur, quaſi ſupra legem homo facta præſtare, ac de illis aliis ſupererogare poſſit, quæ omnia aliena, & hominum commenta ſunt.* Deſertio bonorum moderato divitiarum uſui præferenda, *& non præferenda*, Medium, *Vtrumq́ distinctis diſtinguendis dici poteſt. Deſertio bonorum præferenda, ſi neceſſariâ de causâ ſuſcepta ſit, Vt communi fidelium inopiâ, continuatâ & gravi perſecutione, ſingulari præcepto & vocatione, opum amore à Chriſto avertente, & ſimilibus. Hic enim neceſſitas bona abdicare, & in pauperes erogare jubet. Non eſt præferenda, ſi ſine urgente neceſſitate & illegitimo fine ſuſcepta. Satius enim, divitias prudenter erogare, quàm omnibus ſe abdicare. Sic enim ſi omnia in pauperes erogentur, & caritas abſit, nihil eſt*, 1. Cor. 13. v. 3. *Et cum meriti opinio in deſertione adeſt, fruſtranea omnia & cultus hominum ſunt*, Matth. 15. v. 9. Coloſſ. 2. v. 23. *Nec aliis ſublevatio, & nobis afflictio de noſtris eſſe debet*, 2. Cor. 8. v. 13. *Vt deſertionem bonorum non ſine gravi causâ ſuſcipere oporteat.*

37. Vita Eremitica DEO placet, *& non placet*, Medium, *Vtrumq́ diſtinctè verum eſt.* Placet, *ſi peculiari vocatione, gravi de causâ, ſingulari fine, perſecutionum fervore, & neceſſariâ ratione ad tempus aliquod, non in perpetuum, ſuſcipiatur, nullusq́ cultus, meritum, ſuperſtitio, ei adjungatur, ſic in Iohanne baptiſtâ*, Luc. 1. Marc. 1. Elia, 1. Reg. 19. *Aliisq́ in primâ Eccleſiâ, ubi horrendæ*

gentilium

gentilium perſecutiones fervebant: Non placet, ſi neceſſaria iſta requiſita abſint, & ſuperſtitioſus finis, cultus, meritum, ei ſuperſtruatur, & perpetuum vitæ genus conſtituatur. Sic enim dona & bona noſtra in publicum uſum conferre debemus, Matth. 5. v. 15. 16. Non talentum defodere, C. 25. v. 18. ſeq. Nec conventus deſerere, Hebr. 10. v. 25. V. de Comm. Sanct. C. 5. t. 20. Vbi pluribus de eo viſum. Miniſterium ambire licet, & non licet, Medium, Vtrumq; verum. Licet gloriæ DEI, ædificandæ Eccleſiæ, & communis uſus gratiâ: Non licet lucri, ambitionis, honoris, aut terreni commodi intuitu. Sine ordinatione docere licet, & non licet, Medium, Vtrumq; dici poteſt. Illud in perſecutione, Eccleſiâ corruptâ, diſperſâ, Cum nullus, qui ordinet, haberi poteſt. Hoc in Eccleſiâ conſtitutâ, omnibus ordinatè ſe habentibus, nullâ perſecutione infeſtante, Et cum adſunt, qui ordinent. Apoſtolicæ enim hic ritus originis & frequentationis eſt, Actor. 6. 13. 1. Tim. 4. 5. 2. Tim. 1. Eoq; non facilè omittendus. Conf. t. 33.

38. Magiſtratus Conſtitutio humana, & divina eſt, Medium, Vtrumq; eſt. V. t. 32. Poteſt Chriſtianus jure Magiſtratum gerere, & non poteſt, Medium, Vtrumq; dici poteſt. Poteſt moderatum, ordinatum, & legitimè regimen occupantem ac adminiſtrantem: Non poteſt tyrannicum, violentum, illegitimè gubernantem, & omnia evertentem. Sic enim in irâ & furore DEI reges dantur, & regnant non per DEVM, Oſe. 8. v. 4. C. 13. v. 10. Primus locus in externâ gubernatione Eccleſiæ Magiſtratui demandandus, & Clericis vel ſummo Pontifici ille dandus, Medium, Diſtinctè utrumq; dici poteſt. Magiſtratui in exteriore regimine, ut vocandi, conſtituendi, ſalariandi

abdicandi

abdicandi, transferendi, Clerico in interiore, ut prædicandi, sacra administrandi, ligandi & solvendi, V. t. 34. 35. *Et prout Ecclesiæ status, circumstantiarum variarum ratio, similiaq; hic postulent.* In quibusdam Ecclesiis *multum juris hic Superintendentibus, Præpositis, Canonicis, & similibus collatum est, ut in partem juris Patronatus devenerint.* Conf. t. 30. Magistratui cura Ecclesiastica competit, *& non illi, sed Ministerio ea competit, extrema duo sunt, Vt* Meisnerus p. 3. Ph. Sob. p. 551. *ait. Inter quæ medium eligendum. Magistratui competit* cura, sed externa, *ut Ecclesiæ constituantur, serventur, ornentur, defendantur:* Ministerio interna, *ut prædicandi, Sacramenta ministrandi, ægros consolandi, infirmos instruendi, &c.*

Hæretici sunt occidendi, *& non sunt,* Medium, *Vtrumq; distinctè dici potest. Sunt occidendi, si rebelles, seditiosi, aperti turbones sint, & in veteri Test. ubi aperta lex de illis occidendis fuit,* Deut. 13. Non, *si tantùm sibi errent, & ob solum errorem, ac in N. T. Vbi violenter eos extirpare prohibitum,* Matth. 13. *Si apertè blasphemi sint, nec desistant, duriùs coërcendi, vix tamen occidendi. Spirituale enim hoc peccatum, non civile est, eoq; civili morte non vindicandum, sed DEI vindictæ in N. T. committendum erit.* Item, hæretici capite puniendi, ut Pontificii, *Et in hæreticos prorsùs non animadvertendum,* ut Socinistæ, Anabaptistæ, Weigeliani, Fanatici, *volunt, extrema sunt:* Medium, *Debitè coërcendi, exilio, carcere, excommunicatione, exclusione, devitatione; Non autem occidendi sunt. Vt palàm homines seducant, ferendum non est, & lupos, quales hæretici,* Matth. 7. v. 15. *ab ovilibus debitè abigere, justum ac necessarium est.*

39. Poteſt Magiſtratus diſſidentes religiones in ditione ſuâ ferre, *& non debet eas ferre, ſed unam fidem inducere & tueri*, Medium, *Vtrumq; agere poteſt.* Poteſt ferre, *ſi ſalus Reipublicæ, conſtitutio ditionis, in quam Magiſtratus juravit, ratio ſtatus, aliter non ferat, & diſſidentes relig. jam inveniat, non primùm ipſe inducat*: Non debet ferre, *ſi ſcilicet commodè & citra Reipubl. ruinam, aut veræ fidei & fidelium periculum ac incommodum tollere, unamq; inducere queat. Et ſimiliter hic* duo extrema cavenda, *Libertatem quidvis credendi indulgendam, Vt* Photiniani & fanatici, *& nullam diverſam religionem in Republ. tolerandam, ut* rigidiores Pontificii *volunt*, Medium *tutiſſimè eligitur, ſi Circumſtantiæ attendantur*. Idem *in hoc eſt*, Libri hæretici liberè in regione diſſeminandi, *Vt* Photiniſtæ, Arminiani, *Et ignibus conſumendi ſunt, ut iterùm* rigidi quidam Pontificii *volunt*; Medium, *Nec abſolutè omnibus permittendi, nec ignibus omnes abolendi, ſed librorum ipſorum* varietas, *quidam Magici, quidam erronei, alii blaſphemi, legentium judicia & profectus, Circumſtantiarum rationes attendendæ, ut quidam divendi, alii prohiberi poſſint. Sed ignibus non facilè in ſolos erroneos libros ſæviendum, niſi Magici, palàm blaſphemi, impudici, bonis moribus adverſi ſint.* Item, Magiſtratus poteſt ſubditos ad religionem cogere, *& non poteſt*, Medium, *Vtrumq; verum.* Poteſt moraliter *& externâ pædagogiâ flectere, ad conciones audiendas movere informationem procurare, præmiis concitare, ut in convertendis Iudæis ſolemus.* Non poteſt violenter *& apertâ vi, ut exactionibus militaribus, carceribus, exiliis, bonorum confiſcationibus, & ſimilibus. De jure enim ſvadetur religio, non imperatur aut extorquetur.*

40. Judæi ſunt in Republ. ferendi, *& non ferendi, ſed expellendi,* Medium, *Vtrumq; ſub diverſis circumſtantiis agi poteſt.* Ferendi, *ſi ſine ingenti Reipubl. damno expelli nequeant, certis conditionibus conſtringendi, ne Chriſtum aut Sanctos ejus blaſphement, errores ſeminent aut perſvadeant, Chriſtianos in ſuam perfidiam inducant, prodant, exſugant.* Non ferendi, *ſi commodè pro ſalute Reip. abigi, & Chriſtiani ab immanibus eorum uſuris, morſuris, & periculis liberari poſſint.* Ferendi, *ut ſervi ac mancipia, non ut liberi & cives.* Bella Chriſtianus in N. T. licitè gerere poteſt, *& non poteſt ea gerere,* Medium, *Certâ cautione utrumq; dici poteſt.* Gerere bella poteſt, *ultimâ nempè neceſſitate, & in publicâ ac neceſſariâ causâ, Cum omnia tentata ſunt, & aliis mediis res tranſigi nullâ ratione poteſt.* Non poteſt, *ſi non ultima neceſſitas, nec cauſa publica aut ſatis neceſſaria adſit, & aliis mediis res tranſigi queat. Vltimum enim medium Chriſtiano bellum poſt cætera omnia periclitata eſſe debet, Non primum aut medium. Bella juſta, quibus nulla niſi in armis ſpes eſt. Et potiùs de jure ſuo aliquid remittendum, quàm in bellum non ſatis neceſſarium proruendum eſt.* Magiſtratus in N. T. in facinoroſos capitaliter animadvertere poteſt, *& non debet id facere,* Medium, *Vtrumq; certo ſenſu dici poteſt.* Illud, *Vt civilis & Politicus eſt, ac pars Reipubl. Et civilis ſocietatis, ubi civilibus mediis ſæpè procedendum eſt: Et ubi facinus notorium ac ſatis probatum eſt.* Non debet, *ſcil. ut præcisè Chriſtianus, DEI filius, fidelis, & ovis Eccleſiæ eſt, ſic enim non armis carnalibus, ſed ſpiritualibus pugnandum eſt, & ubi facinus occultum, aut non ſatis probatum eſt. Quia* utroq; reſpectu *Magiſtratus in Politiâ conſiderari*

rari poteſt, ſecundùm eum & diversa prædicata de eo enunciari poſſunt, ut aliquid poſſe & non poſſe dicatur. Sic gladium gerit, ut Magiſtratus, non præcisè, ut Chriſtianus eſt. Chriſtianis omnibus Chriſtianè viventibus gladio opus non erit. Sic aliquis morbos curat, ut Medicus, *Cauſas in foro agit, ut* ICtus, *non ut præcisè Chriſtianus eſt.*

41. Fures ſunt ſuſpendendi, & non ſunt, Medium, *Vtrumq; dici poteſt.* Suspendendi, *Vbi aliter malitiæ eorum contraveniri nequit, & Reipublicæ quies ac ſalus neceſſariò tandem requirit. Hic enim ſalus Reip. & vita hominis in comparationem veniunt, inter quæ ſufficiens proportio eſſe poteſt.* Non ſunt, *ubi melioribus mediis malitiæ obviari poteſt. Sic Venetiis ad triremes damnantur, è quâ pœnâ pauciſſimi in tàm populoſâ Republ. fures animadvertuntur.* Magiſtratus eſt neceſſarius Chriſtianis, & non eſt, Medium, *Vtrumq; eſt.* Eſt, *Cum mali inter Chriſtianos ſemper intercurrant, qui coërcendi ſunt, & à quibus probi defendendi.* Non eſt, *ſi ſcilicet omnes boni ac ſolidi Chriſtiani ſint, qui ſpontè officium faciant, nihil mali patrare cupiant. Sic enim nec defenſione, nec animadverſione opus erit.* Magiſtratus Chriſtianus juſtè tributum à Chriſtianis exigit, *Vt Politici, Et non exigit, ut* Weigeliani *volunt,* Medium, *Vtrumq; dici poteſt. Moderatum & neceſſarium juſtè exigit,* Rom. 13. v. 7. *Sine eo enim Reſpubl. adminiſtrari non poteſt. Immoderatum, ſuperfluum, & violentum non.* Bona Chriſtianorum communia eſſe, *& non eſſe debent,* Medium, *Vtrumq; dici poteſt. Debent in extremâ neceſſitate, cum tota Eccleſia inops, & aliter ſervari non poteſt, Vt* Act. 2. v. 44. C. 4. v. 32. *Non debent ſine neceſſitate, cum Eccleſia*

ſatis

satis constituta, aliisq; modis inopiæ quorundam per eleemosynas aut alia provideri potest. Vt De Commun. Sanctor. C. 5. t. 24. *dicetur.* Christiano jurare licet, *& non licet*, Medium, *Vtrumq; verum.* Licet, *si magistratus legitimus postulet, res gravis sit, aliud eruendæ veritatis medium non sit, & ultima necessitas, salus proximi, aut propria, aut Reipubl. requirat, & rarissimè*, Hebr. 6. v. 16. Non licet *in quotidiano ac familiari sermone, Vbi est & non est sufficit, causis levibus, necessitate nullâ requirente, & ubi alia veri media satis prostant, nec competens magistratus veri gratiâ requirit.* Iudex secundùm acta & probata, *& secundùm conscientiam judicare debet*, Medium, *Certis circumstantiis vtrumq; agere debet.* *Si certò & evidenter de re ipsi constet, judicium protrahere, aut in illo casu abdicare, non autem innocentem condemnare, aut quidquam contra conscientiam propriam agere debet*, Exod. 23. v. 1. seq. *Si præsumptione tantùm, conjecturaliter, aut obscurè constet, actis & probatis inhærere, & secundùm ea judicare debet.*

42. Matrimonialium competens Iudex est Magistratus, *& comp. Iudex est homo Ecclesiasticus*, Medium, *Vterq; legitimè hic adhibetur.* Ille *ob publicam Conjugii in Politiâ rationem, & ut exsequi in multis possit, ubi necessitas requirit*, Deut. 22. v. 15. Ruth 4. v. 1. seq. *Hic ob varios casus ex sacris decidendos, & Christi exemplum de divortio*, Matt. 19. *Et Pauli de cœlibatu respondentis*, 1. Cor. 7. *docet.* Conjugium est sacramentum, *& non est*, Medium, *Vtrumq; dici potest, prout vocem latè & strictè, propriè & impropriè, rigidè & abusivè sumas.* V. t. 46. Concubinatus tolerari potest, *& non potest*, Medium, *prout sta-*

tus Politiæ fuerit. *In ordinatâ Repub. ferri non debet, sed tolli.* *In turbatâ multa ferri oportet, quæ non probantur. In V. T. permissus, in N. T. non facilè ferendus est.* Polygamia Patrum in V. T. à DEo probata, *& damnata ac reprobata fuit.* Medium, *Pro ratione istius status permissa & tolerata, nunquam plenè probata fuit.* *Vel* ἐπέχειν *arripere, & non liquere dicere hic fas est, Vt* Chemnitius, Mentzerus, Gerhardus, Brochmandus, aliisq; *faciunt*, V. de non Liquendo, t. 9. Parentum consensus ad conjugium est necessarius, *& est honorarius tantùm*, Medium, *Vtrumq; dici potest.* Illud, *si parentes adsint, rationis compotes, & sui juris sint, ac haberi possint, nullaq; malâ pertinaciâ reclamare deprehendantur.* Hoc, *si non adsint, aut sanâ ratione orbi, aut sui juris non sint, aut merâ malitiâ liberis contradicant, eosq; impediant, nullaq; solidâ ratione ducantur.* *Non enim parentes liberos suos exacerbare debent*, Ephes. 6. v. 4. Colos. 3. v. 21. *Nec patria potestas data, ut eâ incommodent liberis, sed ut prospiciant.*

43. Leges de prohibitis gradibus Lev. 18. & 20. tantùm Judæos obligant, *& etiam Christianos obligant*, Medium, *Vtrosq; simùl obligant.* *Immediatè & per expressum Iudæos, quibus datæ & latæ illæ*, Lev. 18. v. 2. *Mediatè & consequenter omnes gentes, ad quas notitia earum pervenire potest aut debet.* *Et sic etiam Christianos. Iuri enim Naturæ consentaneæ sunt, qualia Vniversos obligare solent.* Benedictio Sacerdotalis necessariò ad conjugium requiritur, *Et non requiritur*, Medium, *Vtrumq; verum est.* Requiritur, *ut* DEO *gratum illud, ordinatum, & decorum sit, ac cum* DEO *omnia in tali statu, ut decet, inchoëntur, ut & gentiles agnoverunt ac fecerunt, Vt* DEVS

conjunxisse dici queat, Matth. 19. v. 6. Non requiritur, *scil. tanquam pars essentialis ad essentiam conjugii pertinens, hæc enim in legitimo utriusq; contrahentis legitimi & sui juris consensu ac fine consistit. Quorsùm benedictio non pertinet.* Matrimonii vinculum est indissolubile, *& est solubile*, Medium, *Vtrumq; est. Indissolubile ab homine scilicet, & merâ authoritate humanâ est: Quod enim DEVS conjunxit, homo suâ potestate ne separet*, Matth. 19. v. 6. *Solubile est, scil. à Casu à DEO ipso constituto, Quomodo Christus scortationem & adulterium*, Matth. 5. v. 32. C. 19. v. 9. *Paulus malitiosam unius partis desertionem*, 1. Cor. 7. v. 15. *Solvendi aut soluti conditionem ponunt.* Licet matrimonium inire cum diversæ religionis homine, *& non licet*, Medium, *Vtrumq; verum. Licet, si nullus seductionis metus sit, & pars errans modesta sit, alterius sententiam non insectetur, blasphemet, subsannet, ac de ejus conversione spes sit; nec pertinaciter errorem propugnet.* Non licet, *si seducendi metus, suam fidem pertinaciter defendendi, propugnandi, alteram oppugnandi & blasphemandi malitiosa pertinacia adsit, & de Conversione errantis spes nulla esse possit, aut in errore malitiosa permansio apertè affirmetur.*

44. In Loco de Sacramentis *in sequentibus mediorum inter extrema ratio animadverti queat.* Vt, Licitè utimur voce Sacramenti in Ecclesiâ, *& illicitè utimur*, Medium, *distinguendus est usus.* Licitè *utimur, quà libertate Christianâ voce uti possumus, & longo usu Ecclesiastico velut civitate Ecclesiæ Latinæ donata est, nihilq; superstitionis in eâ oculitur, aut ei annectitur.* Illicitè, *si ut prorsus necessaria aut Biblica obtrudatur, peculiaris vis latens ei subesse credatur, aut alias superstitiosè usus ejus adhibeatur.*

Sacra-

Sacramenti vox tantùm externum elementum, aut ritum & actum notat, *& etiam internam vim ac gratiam notat*, Medium, *Vtrumq; notat, prout magis adæquatè aut inadæquatè, totaliter aut partialiter, ſumitur.* Eadem vox ἔγγραφος & ἄγραφος *est*, Medium, *diverſo ſenſu utrumq; eſt.* Ἔγγραφος, *ſi generaliter pro myſterio ſumatur*, Epheſ. 5. v. 7. Ἄγραφος, *ſi ſpecialiter pro certo ritu divinitùs inſtituto pro gratiâ Evangelicâ conferendâ & obſignandâ ſumatur, Vt in Eccleſiâ uſitatè ſumitur.* Sacramenta ſunt ſigna gratiæ, *& ſunt media ac ſigilla gratiæ*, Medium, *Vtrumq; ſunt.* Signa *ex aliquo fine, & quà externi ritus ſunt, quibus aliquid interni adumbratur.* Gen. 17. v. 11. *Sic aquæ ablutio in baptiſmo crucifixionem Veteris hominis notat.* Rom. 6. Non ſigna *ex genere & eſſentiâ ſuâ, ſed actus, ritus, & Ceremoniæ.* Media *ac ſigilla, quà per externos actus* DEVS *gratiam conferre aut obſignare promiſit. Sic baptiſmus ſalvat*, 1. Petr. 3. v. 21. *Cœna gratiam obſignat & fidem confirmat*, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 26. *Circumciſio fœdus*, Gen. 17. v. 9. 10. *Et ſignaculum juſtitiæ fidei eſt*, Rom. 4. v. 11.

Sacramenta obſignant gratiam Evangelicam, *& non obſignant*, Medium, *Vtrumq; dici poteſt.* Obſignant, *ſed moraliter, ſpiritualiter, & hyperphyſicè, ex peculiari Dei inſtituto.* Non obſignant *naturaliter, Phyſicâ ac inhærente quadam virtute, quomodo vinum calefacit, panis & caro nutrit, & Phyſico modo, quomodo naturalia humectant, ut aqua, calefaciunt, ut ignis, incidunt & aperiunt, ut purgantia, conſtringunt, ut acida & amara, &c.*

45. Sacramenti forma in analogiâ ſigni ad ſignatum conſiſtit, *& non conſiſtit*, Medium, *Sacramentum*

ut

ut accidens, propriè non habet formam, sed est ipsa ultimata forma, actio & ritus aliquis certo fine ordinatus. *Cui analogia aliqua ad rem signatam intercedit, sed quæ magis ad finem, quam formam, spectat.* Et forma ejus, *sed generalis & obiter dicta, in eâ est, non specialis & interna.* Fides ad essentiam sacramenti pertinet, *& non pertinet,* Medium, *Vtrumq; est.* Pertinet *ad essentiam, totaliter nempè in fine & intentione suâ à Christo institutam, sic enim actus sunt certi finis gratiâ à Christo instituti, eoq; intenti, vt essentia illorum sine tali fine spectata non totaliter & adæquatè concipiatur.* Non pertinet, *quando essentia partialiter & inadæquatè concipitur, & inter substantiam Sacramenti ac finem distinguitur.* *Quomodo interdùm inadæquatè res aliquas concipere solemus.* Sacramenta N. T. vim operandi ex opere operato habent, *& ex operantis ac devotione utentis habent,* Medium, *Vtrumq; dextro sensu dici potest.* *Ex opere operato, vi divinæ institutionis, quà DEus ea ad salutaria organa gratiæ elevavit, & vim operandi moralem indidit,* V. t. 44. Ex operantis, *quia ut vis in homine exseratur, fide & devotione utentis sacr: opus est, sine quâ nihil salutariter in eo operabitur.* Est conditio necessaria *subjecti utentis, non ratio interna ipsius Sacramenti operantis, quasi vim suam ex devotione vtentis illud habeat, quamvis sine eâ in homine eam non exserat.*

46. Eadem est substantia Sacramentor. V. & N. Test. *Et non eadem, sed diversissima est:* Medium, *Vtrumq; congruo sensu dici potest.* Eadem *est quantum ad gratiam & Messiam ipsum, quo nituntur ea, qui in utroq; Testam. unus idemq; Christus est,* Hebr. 13. v. 8. *Itemq; Viam salutis in Christo, & reconciliationem cum DEO per ipsum.*

Diversissima, *quantum ad modum sistendi vel exhibendi Christum, qui ibi in umbris, typis, promissionibus, adumbrationibus, venturus & in carne exhibendus, hic in re, substantiâ & exhibitione, tanquam incarnatus iam & exhibitus, realiterq; se sistens & exhibens.* Agnus paschalis fuit Sacramentum, *& fuit sacrificium*, Medium, *Vtrumq; fuisse certo sensu dici potest. Vt assatus & comestus fuit, sic Sacramenti, vt occisus, mactatus, sangvis ejus fusus, postibus ædium illitus, sic sacrificii rationem aliquam habuit.* Sacramenta N. T. tantùm duo sunt, *& non duo, sed plura esse possunt*, Medium, *Pro latiore & strictiore vocis sacramenti acceptione vtrumq; dici potest.* Strictè *loquendo univocè dicta Sacramenta tantùm duo sunt, baptismus & cœna.* Latè *sumendo & analogicè dicta plura esse possunt, prout vox Sacramenti generalissimè quamvis rem mysticam notat*, t. 44. Sic pœnitentiam quidam Sacramentum vocant, t. 19. Baptismus immersionem notat, *& aspersionem aquæ notat*, Medium, *Vtrumq; in sacris notat.* V. Marc. 7. v. 3. 4. Luc. 11. v. 38.. Hebr. 9. v 10.

47. Baptismus à ministro verbi administrandus, *& à Laico etiam ac Idiotâ administrari potest*, Medium, *Vtrumq; verum est. A ministro ordinariè & extra necessitatis casum, Ecclesiâ rectè constitutâ, & ubi minister satis haberi potest. Ab Idiotâ in casu supremæ necessitatis, Vbi Ecclesia non plenè constituta, minister haberi nequit, & præsens mortis periculum baptisando imminet.* Baptismus Johannis idem substantiâ cum Christo est, *& non est, sed diversus*, Medium, *Vtrumq; dici potest, prout terminum substantiæ latè aut presse sumpseris.* Idem est *substantiâ, h. e. essentiâ & essentiali ratione, fundamento, institutore*

ſtitutoré, DEO, *virtute agendi & efficaciâ, fine, materia S. aquâ, formâ, aſperſione vel immerſione in nomine DEI facta.* Non idem *ſubſtantiâ, ſi latiùs eam pro quocunq; modo & ratione rei ſumas. Quomodo omnem ſubſtantiam decoquere dicitur, qui facultates abſumit. Iohannis enim in Chriſtum paſſurum & reſurrecturum, Chriſti in paſſum, mortuum, & reſuſcitatum, Ille ſolis Iudæis, hic omnibus gentibus in toto mundo adminiſtratur. Ille nulla viſibilia Sp. S. dona contulit, ut hic, nec ita ſolenni promulgatione inſtitutus eſt, ut hic,* Matth. 28. v. 19. Exorciſmus licitè adhibetur in baptiſmo, *& non adhibetur,* Medium, *Vtrumq; rectè dicitur. Licitè adhibetur, ſi ut ceremonia libera, in ſe indifferens, ſubſtantiam baptiſmi nec meliorem, nec deteriorem faciens, nec ei eſſentialis, nec ſpiritualem quandam vim obtinens, ſed judicium ponens, non gratiam faciens, & nulli ſuperſtitioni miſta obſervetur.* Non licitè, *ſi ut neceſſarium quid, internam gratiam ſacramentalem ſuppeditans, ſuperſtitioſo fine, modo, & opinione adhibeatur. Eccleſiæ liberum eſt, ut dogma iſtud de peccato, Sathanæ poteſtate, & baptiſmi efficaciâ, exorciſmo adumbratum, aliis verbis Scripturæ magis conformibus proponat & explicet.* Baptiſmus ſolâ aquâ expediendus, *& etiam alio elemento adminiſtrandus,* Medium, Vtrumq; procedit. *Illud de baptiſmo proprio & ordinario, hoc de improprio, metaphorico, & extraordinario ac miraculoſo, qui etiam igne & Spiritu S. fit,* Matth. 3. v. 11. Luc. 3. v. 16.

48. Infantes Chriſtianorum ante baptiſmum Sancti *ſunt & non ſunt, ſed caro de carne,* Joh. 3. Medium, *Vtrumq; ſunt. Sancti, non Theologicè à peccato, ſic enim omnes naturâ filii iræ, non gratiæ,* Epheſ. 2. *Sed Politicè*

& civiliter, hoc est, in Ecclesiâ nati, & sic proximo jure ac aditu ad Ecclesiæ bona; qualia Sacramenta, instructi, quo non infidelium, paganorum, Mahometanorum, Iudæorum, liberi, quos potestati Christianæ primùm subjici oportet, priusquam aditum istum adipiscantur. Baptismus unicus est, & duplex, internus & externus est, Medium, Vtrumq; dici potest. Vnicus est specie, naturâ, essentiâ, vi & efficaciâ, Ephes. 4. v. 5. 6. Duplex nominali vocis æquivocatione, ut proprius & tropicus, fluminis, flaminis, & sangvinis, internus & externus, usitatus & inusitatus: Ac aliquid externi in baptismo est, ut actus abluendi, aspergendi, immergendi, in nomen S. Trinitatis, & aliquid interni, ut Spiritus S. interna vis, gratia, efficacia, peccatorum remissio. Vndè obiter internus & externus dicitur. Quomodo mundus, astrum, homo, internus & externus, visibilis & invisibilis Hermeticis appellatur. Sic circumcisio Carnis & Spiritus, interna & externa Apostolo est, Rom. 2. v. 28. 29. Sed accurata locutio non est: Nominis distinctio est, non rei divisio. Sic int. & ext. quid in homine est, anima & corpus: Sed hominem inde in internum & externũ in Physicis propriè non dividimus.

Baptismus est necessarius ad salutem, & non est, Medium, Vtrumq; verum, & distinguenda necessitas est. Necessarius, ut medium ordinarium, sine quo ordinariè nemo salvatur, Joh. 3. Non necessarius absolutè nempè, quasi simpliciter nullus sine baptismo salvari queat, sic enim infantes in utero mortui, aut sine contemptu per casum aliquem baptismo privati, non ob id damnati censendi, sed judicio DEI committendi sunt, t. 12. 18. Nos baptismo DEVS alligavit, non seipsum, quasi nullo casu sine eo aliquem salvare queat.

49. In-

49. Infantes sunt baptisandi, *& non sunt*, Medium, *Utrumq; certo sensu dicitur.* Sunt, *si è Christianis nati, aut sub potestatem Christianorum redacti sint, & toti jam ex alvo materna egressi sint.* Non sunt, *si è non Christianis nati, nec in potestatem Christianorum delati, nec integrè satis, sed partialiter tantùm ex utero protrusi sint.* Baptismus ab hæretico collatus est ratus, *& est irritus.* Medium, *prout hæreticus fuerit.* Si *substantialia baptismi servet, & in nomen Patris, filii, & Sp. S. aquâ hominem tingat, validus est baptismus. Sic apud Reformatos & Pontificios validus baptismus.* V. Hutterum L. C. de baptis. C. 5. q. 2. Si *ea neget & impugnet, aut omissis illis vel detortis baptizet, Ut* Arianus, Tritheita, Sabellianus, *non est, & taliter baptizatus iterùm ab alio baptisandus est.* Licet infantem baptisandum offerre ministro heterodoxo, *Arminiano, Pontificio, & non licet,* Medium, *Utrumq; dici potest. Licet, si alius orthodoxus haberi nequeat, Ubi satius à tali baptismum suscipere, modò substantialia ejus servet, non neget aut impugnet, quàm prorsùs sine eo infantem decedere. Ratus enim talium baptismus.* Non licet, *si alius haberi potest, aut paterfamilias ipse baptizare queat, & minister substant. baptismi neget vel impugnet.* Monstra humana baptisanda, & non baptisanda, Medium, *Utrumq; verum. Baptisanda, si rationis capacia deprehendantur, & figuram satis humanam in principalibus servent. Non, si ista abesse illis deprehendantur.*

50. Cœna rectè Sacramentum altaris dicitur, *& non rectè dicitur*, Medium, *Utrumq; dici potest.* Rectè *sic dicitur, si Sacramenti vocem pressè sumas, t. 44. 46. Et altaris vocem latè accipias, non pro eo, in quo propriè sa-*

 crificatur,

crificatur, sed in quo mystici quid tractatur, & liberè citrà superstitionem aut erroneam opinionem vox usurpetur. Non rectè, *si Sacramentum generalissimè aut æquivocè capias,* c. l. *Et altare pro loco veri sacrificii sumas, ac superstitiosas sententias sacrificii incruenti, oblationis pro vivis & mortuis, missarum, inde deducere labores.* Cœna appellatur fractio panis in Actis, *& non appellatur,* Medium, *Non satis firmiter id indè probari potest.* *Eoq; abstrahendum hic ab affirmando & negando, donec firmamenta utriusq; sententiæ satis penetrata fuerint.* Panis in Cœnà transsubstantiatur in Corpus Christi, *& non transsubstantiatur,* Medium, *Vtrumq; pro diverso vocis sensu dices. Transubstantiatur non essentiâ & naturâ, sed officio & munere, Transmutatur è vili usu in singularem & sublimem, Novum enim munus accipit, ac istius panis fractio & comestio Corporis Christi communicatio fit,* 1. Cor. 10. *Sicq; à vulgari usu ad sacrum & mysticum transfertur, & in mysticum finem, non corporis alimoniam, sed spiritualem hominis refectionem, usurpatur.* *Sic hominem transsubstantiatum & transmutatum dicere queas, si ex idiotâ in Regem aut Principem, & sordido statu in sublimem evehatur, Vt Saul, Abdolonymus,* Curtius L. 4. C. 1. aliiq;. Non autem, *si transsubstantiari essentiâ & naturâ in aliam substantiam transire intelligas. Sic enim manet, quod est, & officio in aliud immutatur. Hoc interdum naturâ mutari Patres dicunt, officiali nempè, Vt* Cyprianus, Ambrosius, aliiq;. *Sic nos in baptismo naturâ mutamur, non enim filii iræ, ut ante eramus,* Ephes. 2. v. 3. *Sed gratiæ renascimur. Sic naturâ furem dicimus, qui naturali inclinatione talis, non quòd substantialiter in eum mutatus.* Corpus Christi manet sub pane etiam extra usum.

usum comedendi, *& non manet*, Medium, *prout usum diu protrahas, aut non protrahas.* Manet, *si non nimis diu usum suspendas.* *Sic olim hostiam è templo domum tulerunt, & ibi comederunt*, *Vt* è Cypriano, Tertulliano, aliisq; *patet. Itaq; ad sumendum, non includendum, secum sumpserunt panem Cœnæ, & sic comederunt.* Non manet, *si ad nudam reservationem ac inclusionem teneas, usumq; edendi vel prorsùs omittas, vel ad longum tempus suspendas. Non enim ad includendum, sed comedendum, panis Cœnæ à Christo datus est.*

51. Hostia in Cœnâ est verus & naturalis panis, *& est nebula, spuma, idolum panis, farinaceum folium*, Medium, *Est panis, & pro eo usurpari potest, sed inusitatus, rarior, extraordinarius, infermentatus, non communis & fermentatus, eoq; ab hujus requisitis & affectionibus ad illum colligere non sequitur.* Panis Cœnæ est Corpus Christi per transsubstantiationem, *& per analogicam signi ad signatum repræsentationem*, Medium, *per veram, realem, & mysticam Corporis Christi in Cœnâ communionem, quæ nec propriâ transsubstantiatione, nec locali consubstantiatione, nec significativâ repræsentatione opus habet.* Corpus Christi in Cœnâ substantiâ sui reverâ adest, *& reverâ abest, ac in cœlo continetur*, Medium, *Corporis Christi mystica & Spiritualis in Cœnâ sub pane est communio, Sanguinis sub vino, quæ naturâ sui ad præsentiam & absentiam indifferens est, & sub utraq; esse potest, Vt* Tract. d. Commun. Sanctor. C. 5. *Et* plenius Tr. de esu Euchar. C. 5. *ostendetur. Et qualis hic præcisè sit, fortè non secundùm omnes modos specialiter dici potest, nec nos mysticorum omnes modos explicare tenemur, sed* non liquere *arripiendum, & quiescendum est. Vt* Tr.

d. non liquen. *dictum.* Cœnæ usu remissio peccatorum confertur, *& non confertur*, Medium, *Propriè collata jam obsignatur & confirmatur fideli usu panis & vini istius, cum quo sanguis Christi sumitur, qui in remissionem peccatorum fusus est.* Eucharistia est verum sacrificium, & non est, Medium, *Est verum sacrificium, sed tropicè dictum, Quomodo Christus vera vitis,* Joh. *15. Et vera lux,* Joh. *1. Sed tropicè dicta: Non autem proprium sacrificium Cœna est.*

52. Corpus Christi in Cœnâ tantùm ore comeditur, *& tantùm fide*, Medium, *Vtroq; eo comeditur. Ore per panem & mediante eo., fide in substantiâ sui, quà cibus mentis, non ventris est, & esus Eucharisticus ex orali ac spirituali compositus & aggregatus est, Vt* Tract. de esu Eucharist. *docebitur.* Verba Cœnæ propriè sunt intelligenda, *& tropicè intelligenda*, Medium, *Vtroq; modo intelligenda. Propriè, cum in justum suum sensum resolvuntur. Hoc est Corpus meum, h. e. hujus panis fractio & manducatio est vera corporis Christi communicatio:* Tropicè, *cum absolutè, ut jacent, capiuntur. Sic Corpus pro Corporis communione sumptum, Calix novum Testam. in Christi sanguine, pro Calicis bibitio est sanguinis Christi, qui novi Testam. sanguis est, acceptio, qualia tropica esse certum est.* Memoria est tantùm absentium, *& est etiam præsentium*, Medium, *Vtrorumq; est. Illorum primò, horum secundò, modò sensui non pateant. Sic* DEI *meminisse possum, qui præsentissimus.* Fides facit absentia præsentia, *& non facit*, Medium; *Vtrumq; dici potest. Facit præsentia, sed intentionali, habitudinali, & analogicâ præsentiâ, per speciem in mente formatam, quomodo amicus in mente per speciem cogitatam præsens sistitur, qui realiter multum abesse potest, non reali, sub-*

stantiali

stantiali, & univocâ, quasi quod substantiâ sui realiter absens sit, per fidem substantiâ sui realiter præsens fiat. V. de Esse alicubi, f. 1. t. 47. *Non enim fides rerum naturas evertit, sed relinquit.* Corpus Christi est in, sub, & cum pane, *& non est sub eo*, Medium, *Vtrumq; est.* *Est sub eo, sed mysticâ communione: Non est locali inclusione, adjunctione, complexione, aut sub vel companatione, aut ullâ naturali conjunctionis ratione, vel materiali adglutinatione.*

53. Indigni edunt Corpus Christi, *& non edunt*, Medium, *Vtrumq; dici potest. Edunt in medio & signo, pane, qui Communio Corporis Christi & ipsis esse debuit: Non edunt in sese, & substantiâ sui, quomodo mysticus cibus mentis & fidei est, quâ impii carent, & sic rei Corporis fiunt, quod comedere debuerunt, & per incredulitatem, ac quod edendi organo careant, non comederunt.* V. de esu Eucharist. C. 1. 3. Symbola Eucharistica manu capienda, *& etiam ore capi possunt*, Medium, *Vtroq; capi possunt, & utrumq; τὸ λαβεῖν in sacris notat.* Marc. 15. v. 23. Joh. 19. v. 30. Fractio panis in Cœnâ est necessaria, *& est adiaphora*, Medium, *fractio, hoc est, ad distributionem præparatio, est necessaria, sed tempus, locus, & modus fractionis indifferens est, an in ipso Cœnæ actu fiat, an ante eum jam panis fractus ac divisus sit, & sic ad Cœnam adferatur. Potest ad exemplum Christi frangentis adhiberi, sed præcepto jussa non est, Vt accipere, manducare, bibere, in commemorationem Christi facere.* Abstemiis Cœna sub unâ specie ministranda, *& non ita ministranda*, Medium, *Rectiùs in totum abstinent, & intùs spiritu ac fide in sui solatium manducant ac bibunt, Christiq; mortem cum aliis commemorant.* Surdi, muti, excommunicati, ad Cœnam admittendi, *& non admit-*

tendi, Medium, *Distinctis distinguendis utrumq; asseri potest, ut apud* Casistas *diffusè disquiri solet.* Ægrotis domi Cœna ministranda, *& non ministranda*, Medium, *Vtrumq; certis circumstantiis dici potest. Ministranda extraordinariè, Cum domo per morbum exire, & publicis conventibus interesse non licet. Non ministranda ordinariè & perpetuò, cum cœtus frequentare, & in publico communione uti possunt. Sic enim Cœna in publico frequentanda, non privato.* Signa sunt fidelium, *& sunt infidelium*, 1. Cor. 14. v. 22. Medium, *Vtrorumq; sunt. Fidelium pro confirmandâ fide*, Iudic. 6. v. 17. 2. Reg. 20. v. 1. *Infidelium pro generandâ fide, aut cum ex merâ malitiâ signa petunt, Vt Pharisæi*, Matth. 12. v. 38. C. 16. v. 1.

54 In Locis de novissimis, ut morte, resurrectione, seculi consummatione, extremo judicio, vitâ & morte æternâ *excessus ac media è sequentibus observationes habeant.* Orandum pro mortuis, *& non Orandum*, Medium, *Distinguendum id orandum est. Orandum*, non propriè *& rigidè, quasi suffragiis vivorum juvari illi, aut è loco medio liberari queant, beatis enim benè est, & oratione opus non habent, damnatis malè, & liberari à tormentis nequeunt:* Sed impropriè & largiùs, *vovenda illis felix resurrectio, solida quies, loeta reductio, beata in cœtum cœlestium aggregatio, commonefactio de eorum excessu, virtutibus, gestis, instituenda, & benè actorum memoria ac imitatio occupanda.* V. de commun. Sanctor. C. 6. t. 14. Sancti demortui à vivis invocari possunt, *& non possunt*, Medium, *distinguendum invocare est.* Propriè *pro auxilium eorum implorare, ut velut largitores bonorum aut intercessores apud Deum compellentur, non:* Sed impropriè, *pro nostrum affectum*

eorum

eorum affectui conformare, repræsentare, jungere, ut qui militantis Ecclesiæ membra hic fuimus, ibi triumphantis consortes cum illis esse desideremus & indicemus. Et hoc Vetustissimos Patres *invocatione voluisse existimo.* Vt de corrupt. fidei, t. 24. *dicam.* Peregrinationes ad sepulcra Sanctorũ sunt suscipiendæ, *& non suscipiendæ*, Medium, *Vtrumq; pro diverso fine dici potest.* Sunt, *historiæ, informationis, memoriæ, & cognitionis ac prudentiæ alicujus gratiâ:* Non sunt *superstitioso fine, quasi cultus religiosus per id DEO exhibeatur, homo apud DEUM gratior evadat, meritum quoddam inde deducatur, pro peccatis satisfactio aliqua aut religiosus Sanctorum cultus inde exstruatur, vel peculiaris gratiæ impetratio exspectetur, vel simile quid hic involvatur.*

55. Animæ separatæ sciunt res hujus mundi, *& non sciunt*, Medium, *Vtrumq; dici potest.* Sciunt in generali ac confuso, *& quæ propriâ experientiâ edoctæ fuerunt: Non sciunt in particulari ac distincto hujus aut illius angustias, preces, invocationes, desideria, & similia, Ad hoc enim omniscientiâ opus est.* Generatim *etiam pro Ecclesiâ in his terris orant, successus ejus DEO commendant, ipsi benè esse vovent: Sed non* speciatim *pro hoc aut illo individuo, cujus res in particulari ignorant.* Sancti defuncti sunt Canonisandi, *& non sunt*, Medium, *Vtrumq; dici potest.* Sunt, *si Canonisare sumas pro exemplo virtutum variarum statuere, quod inspicias & exprimas*, t. 54. *DEUM ob dona in ipsos collata glorificare, eminentes eorum virtutes publicè commemorare, vitam, victoriam, mortem, ad imitandum aliis proponere.* Non sunt, *si superstitiosos ritus illi involvas aut superstruas, Vt in precibus Ecclesiæ publicè eos invocare, templa, imagines, aras, statuas, ipsis dicare, cereos*

incendere, sacrificia illorum honori offerre, ad honorandum servare ac ostentare, qualem Canonisationem Scriptura & prima N.T. antiquitas totaliter ignorat. Animæ separatæ usq; ad resurrectionem dormiunt, *& non dormiunt, sed agunt*, Medium, *Vtrumq; dici potest. Dormiunt, hoc est, à laboribus suis hujus vitæ quiescunt*, Apoc. 14. v.13. *Non ampliùs ita distrahuntur in hoc seculo, Vt Corporibus junctæ: Non dormiunt, hoc est, somno sine ullo opere attinentur, sed jugiter DEVM celebrant, ejus judicia implorant, de militante Ecclesiâ cogitant*, Apoc. 4. 5. 6. 7. 11. 19.

56. Resurrectio mortuorum etiam ex Naturâ probari potest, *& non indè probari potest*, Medium, *Vtrumq; dicitur. Potest, sed obscurè, remotè, obiter, imperfectè, & probabiliter. Non potest plenè, accuratè, clarè, & apodicticè, ut è Scripturâ.* V. de Notit. natural. C.3. t. 17. Conf. t.6. Eadem à merito Christi dependet, *& à justitiâ* DEI *dependet*, Medium, *ab utroq; dependet. A merito Christi, ut resurrectio in genere & in vitam revocatio est*, 1. Cor. 15. v. 22. 23. *A justitiâ* DEI, *quà resurrectio ad judicium & damnationem præcisè est*, Joh. 5. v. 29. Act. 17. v. 31. Corpus hominis resurget, *& non resurget*, Medium, *utrumq; dici potest. Resurget quà substantiam & esse, non resurget quà statum, qualitates, & terrenam conditionem. Non enim mortale, corruptibile, fragile, vile, & inglorium, quotidianis mutationibus naturalibus obnoxium resurget, sed immortale, gloriosum, incorruptibile*, 1. Cor. 15. *Spirituale erit in conditione, non spiritus in substantia ratione.* Et *venter destruetur*, 1. Cor 6. v. 13. *Quia coquendis cibis ampliùs non serviet, non quòd substantiâ sui non permansurus sit.* Sic hæc Caro resurget, & prorsus

alia

alia resur: Medium, *Caro resurget, sed qualem DEUS pro suo beneplacito aptabit*, 1. Cor. 15. v. 38. *Cujus omnes Circumstantias nos explicare non possumus. Hæc quà substantiam, alia quà qualitates in substantiâ. Corruptibile enim hoc incorruptionem induere oportet*, 1. Cor. 15. v. 53. Resurrectio mortuorum jam facta, *& demùm fiet*, Medium, *Utrumq; verum. Resurrectio spiritualis, prima & à peccato, jam facta; Corporalis, secunda, in Corpore proprio, ac universalis omnium in novissimo die demùm fiet.* Mundus substantiâ sui in novissimo die interibit, *& qualitatibus tantùm immutabitur*, Medium, *totum hoc non liquet, & utraq; sententia rationes ac fautores benè multos habet, unde multi in dubio sententiam relinqvunt, Ut* Chlitoveus in L. 2. Damasc. C. 6. Heerbrandus in Compend. Mylius in art. 17. Au. Con. Hutterus d. 22. d. art. fid. t. 28. Lobechius in art. 19. A. C. Schilterus de noviss. t. 16. Et Meisnerus p. 1. Ph. Sob. f. 3. C. 3. Τὸ ἐπέχειν *hic tutissimum esse ait*. Conf. de non liquendo, t. 9. Et alibi.

57. Ignis mundum combusturus culinaris erit, *& elementaris erit*, Medium, *Totum hoc non liquet, & satis firmiter constitui ab homine non potest.* V. d. non lique. t. 9. Christus in novissimo die omnia judicabit, *& non judicat quenquam*, Joh. 8. v. 15. Medium, *Utrumq; dici potest. Omnia judicabit in secundo ad judicium adventu & statu gloriæ*, Joh. 5. v. 22. 27. Actor. 17. v. 31. *Et non judicat in primo adventu & humiliationis statu, ubi non ad judicandum, sed salvandum venit*, Joh 3. v. 17. Mundus anno 1670. interibit, *& non tum interibit*, Medium, *Totum hoc homini ignotum, & inter arcana DEI*

repositum est, Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32. Mundus per 6000. annos durabit, *& non durabit*, Medium, *& hoc incognitum est, ac ab homine dici non potest.* Infernus in hoc aspectabili mundo est, *& extra illum est*, Medium, *& hoc homini determinari non potest*, Job. 38. v. 17. *Satiusq; sic vivitur, ut nunquam, ubi sit, deprehendatur, quàm de loco ejus nimis curiosè disceptatur.* V. d. non Liqu. t. 9. Est in centro terræ, *& non est*, Medium, *& hoc ignotum est.* Inferni ignis propriè dictus erit, *& tropicus erit*, Medium, *Vterq; erit. Partìm angor & horror*, Matth. 22. v. 13. Rom. 2. v. 9. Apoc. 14. v. 10. 11. *Partìm verus ignis*, Esa. 66. v. 24. Marc. 9. v. 44. 46. Matth. 25. v. 41. Item elementaris erit, *& culinaris*, Medium, *& hoc incognitum est. Cujusmodi ignis infernalis sit, hominem arbitror scire neminem, nisi fortè, cui spiritus divinus ostendit, ait* Augustinus L. 20. d. Civ. DEI, C. 16. Et L. 4. Esdræ C. 9. v. 13. *dicitur: Noli curiosus esse, quomodo impii cruciabuntur?*

58. Medius locus inter cœlum & infernum datur, *& non datur*, Medium, *Hoc ad fidem Christinam nihil pertinet, sivè detur, sivè non detur: Quæ in Cœlo & inferno ut duabus viis apertè & sufficienter à Scripturâ propositi satis habet, ulteriores non inquirit.* Cœlum beatorum est supra aspectabiles cœlos siderios, *& non est ibi*, Medium, *alicubi est, non nullibi, & à terrâ velut scabello distinctum est*, Esa. 66. v. 1. Actor. 7. v. 49. *Sed ubi præcisè & in specie sit, nemo mortalium dicere potest.* Cœlum DEI est idem cum cœlo beatorum, *& ab eo diversum est*, Medium, *Vtrumq; est. Vt πȣ & spatium quoddam, quod velut sedes DEi ac beatorum est, ubi se DEV*

glorios

gloriosè beatis conspiciendum exhibeat, *idem*: *Vt statum & conditionem notat*, *diversum esse potest. Sic enim DEVS lucem inaccessam*, 1. Tim. 6. v. 16. *Et æternitatem inhabitat*, Esa. 57. v. 15. *Qualiter sedes beatorum non describitur.* Cœlo DEI & Diaboli *continentur*, *& non cont*: Medium, *Distinctis distinguendis utrumq; dici potest. Continentur*, *si cœlo omnipotens DEI ac gloriosum regnum & status notetur*, Dan. 4. v. 26. Matth. 21. v. 22. Luc. 15. v. 18. *Regimine enim DEI & Diaboli contenti*, *non exclusi*: Non, *si sedes beatorum aut gaudium*, *felicitas cœlestis*, *& status beatitudinis. Ex hac enim Sathanas in æternum ejectus*, 2. Petr. 2. v. 4. Judæ v. 6. Apoc. 12. v. 9. *Etsi extraordinariè se bonis angelis in cœlo quandoq; sociare possit*, 1. Reg. 22. v. 21. Iob. 1. v. 6. Corpora glorificata penetrare possunt non gloriosa, *& non possunt*, Medium, *Totum hoc non liquere potest. Erunt spiritualia quà dotes & qualitates*: *substantiæ tamen materiatæ*, *quantæ*, *trinâ dimensione præditæ ratione corpulentiæ*, *cum quo an solidorum penetratio consistat*, *ingens adhuc penes* Philosophus *dubium est*, *& ab utraq; parte quæsitum disceptari potest.* Animæ beatæ status in omnibus est notus, *& in omnibus est incognitus*, Medium, *In quibusdam notus*, *in quibusdam ignotus*, *eoq; non omnia nimis curiosè ac solicitè cum* Scholasticis & Rabbinis *hic exquirẽda*, *Vt* d. 5. Curs. Phil. t. 13. *monitum.* Generalia *interdum patent*, specialia *latent*.

59. Gradus gloriæ diversi in vitâ æternâ erunt, *& non erunt*, Medium, *Vtrumq; dici potest. Erunt gradus in gloriâ accidentali*, *hoc est*, *fulgore & claritate beatitudinis*, *ut stella stellam fulgore superat*, 1. Cor. 15. v. 41. *Et beatitudine formali ejusq; consequentibus*, *variis animæ &*

corporis ornamentis ultrà beatam DEI visionem electis conferendis: Non erunt in essentiali, hoc est, ipsâ beatitudine & beatâ DEI ad faciem visione, vel beatitudine objectivâ, hoc est, DEO viso, qui omnibus idem erit, Omnesq; electi pariter beati erunt, & æqualiter DEUM de facie ad faciem videbunt. Una enim vita æterna, unumq; essentiale præmium, beata DEI intuitio, omnibus credentibus in Scripturâ promittitur, Luc. 20. v. 36. 1. Cor. 15. v. 28. 1. Ioh. 3. v. 2. Secùs ac quidam Pontificiorum volunt, qui alios aliis beatiores fore ajunt, Ut Becanus p. 1. Th. Sch. C. 9. q. 9. Valentia T. 1. Th. Sch. d. 4. p. 235. aliiq; Omnibus una salus sanctis, sed gloria dispar. Beati in alterâ vitâ lingvâ Hebrææ DEUM laudabunt, & omnibus lingvis laudabunt, Medium, eminentiore & singulari aliquâ, supra communes Orbis lingvas exsertâ, lingvâ DEum laudabunt. quæ velut angelica erit, 1. Cor. 13. v. 1. Labium purum, Sophon. 3. v. 9. Et in hoc Orbe usitatæ lingvæ abolebuntur, 1. Cor. 13. v. 8. Beati erunt in loco, & non erunt, Medium, Utrumq; dicitur. Erunt in loco Metaphysico, hoc est, certo ubi & spatio moli ac dimensioni suæ proportionato, non nullibi, aut ubiq; in spatiis infinitis: Non erunt in Physico & tali, qualis sublunaribus competit, sæpè ob θνητῶν δυσχέρειαν, Ut ex Aristot. 2. d. Cœl. C. 4. Aut 4. d. Cœl. C. 3. allegare quidam solent, Ut s. 4. d. Ess. alic. t. 15. adduxi, (Quanquam nihil eorum c. l. apud Arist. reperio.) Ubi locus conservare, sustinere, & fovere locatum debet. Quod in beatis in alterâ vitâ non necessum, quibus DEUS omnia in omnibus erit, 1. Cor. 15. v. 28. A quo conservationem, beatam possessionem, & omnia in solidum habebunt.

60. Beati se in instanti medio non pertransito movere

movere poterunt, *& non ita se movere poterunt*, Medium, *Totum non liquet.* Augustinus 22.d.Civ.Dei, C.30. *Qui motus talium corporum sint futuri, temerè definire non audio, quod excogitare non valeo. Tempus ibi non erit ampliùs. Angeli in instanti moveri possunt*, V. Michael: t. 42. *Beati autem* ἰσάγγελοι *erunt*, Luc. 20. v. 36. *Vnde & hujus aliquid hinc deduci queat. Quanquam solidè & immotè hic non facilè aliquid affirmetur.* In beatis manebunt 4. elementa, *& non manebunt*, Medium, *Vtrumq́; dici potest. Manebunt quantum ad substantiam & existentiam, Mista enim corpora, & sic ex elementis perfectâ crasi & harmoniâ commistis, composita erunt. Non manebunt quantum ad operationes, pugnas, alterationes, quibus se mutuò invadere ac hostiliter impugnare, subjecta infestare, & ad corruptiones ac interitum disponere solent. Sic in corpore Adami integri mistio perfectissima fuit, Vt corruptio ei, quamdiu integer mansit, inferri nequierit.* Corpora glorificata ponderosa erunt, *& non erunt*, Medium, *Vtrumq́; dici potest. Ponderosa erunt, quantum ad esse & habitualem gravitationem, quæ Corpori gravi essentialis est, Vt* in Staticis *docetur*, V. d. 7. Curs. Philos. t. 7. 8. *Non erunt, quantum ad impeditionem agilitatis, celeritatis, subtilitatis, quâ prædita erunt, quomodo jam in sublunaribus gravitas agilitatem in multis impedit, ut potentia motrix non ita celeriter actus suos expedire queat. Quod non in corporibus beatorum erit. Sic ponderositas in Corpore Christi non obstitit, quò minùs aquis inambularet*, Matth. 14. v. 25. *Beatorum autem Corpora illi analoga erunt*, Phil. 3. v. 21 Beati ipsam essentiam DEI oculis corporeis videbunt, *& non videbunt*, Medium, *Vtrumq́; dici potest. Videbunt oculis, sed elevatis, & ad videndum supernaturaliter exaltatis*, Job. 19.

v. 26. 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2. *Non videbunt, oculis in naturali statu relictis ac manentibus, sic enim nemo faciem Dei videre potest*, Exod. 33. v. 20. 23. Coloss. 1. v. 15. Vel *nihil horum certò & firmiter hic constitui potest, sed experientiæ futuri seculi quæstio hæc reservanda est, ut modestè* Augustinus ep. 111. ad Fortunat. Et L. 30. d. Civ. Dei, C. 29. Et Eucherius L. 4. Comm. in lib. Regum *censuerunt*.

61. *Ita* media *inter extrema* in religionis negotiis *animadversa sint*. Iam exempla quædam *eorum pro clariore materiæ luce etiam* è Philosophicis *ac* Historicis *adducenda erunt*. *Sic*, Omnia sciri possunt, *& nihil sciri potest*, *extrema & falsa sunt*. Medium, *Quædam ab homine sciri possunt*, *quædam non*. V. de non liqu. t. 20. 21. Omne ens est infinitum, *& nullum est infinitum*, *extrema & falsa*. Medium, *Quoddam ens est infin. Quoddam non*. Attributa entis sunt ipsum ens, *& sunt realia ejus accidentia*, Medium, *Sunt affectiones transcendentales, realiter quidem ipsum ens, formaliter autem & distincto conceptu fundamentum in re habente, ejus affectiones, non prædicamentalia accidentia, quæ componunt, realiter differunt, & prædicamentaliter afficiunt*. Omnis democratia utilissimus Reipubl. status est, *& nulla Democratia utiliss. status*, Medium, *Quædam utiliss. status, Aristocratiâ nempè aliquâ temperata*. Fœmineus sexus est præstantior virili, *Vt* Agrippa, Forcianæ quæstiones, *Et planè non est humanus, ac mulieres non sunt homines, ut* alii *scurræ delirant, extrema & falsa*. Medium, *Mulieres verè homines, sed non præstantiores Viris, Verùm inferiores sunt*. Philosophia in vero suo usu opus Carnis, inimicitia contra DEUM, *sapientia animalis, Diabolica, damnata est, & opus Spiritus, Sapientia spiritualis & divina est*;

extrema. Medium, *Scientia Naturæ est, Ut Physica, Mathematica, Medicina, Iurisprudentia. Ex se & in se nec carnis, nec spiritus opus.* V. de Notit. natur. C. 3. t. 3.

62. Omne opus aut est Carnis, aut spiritus, Medium, *aut Naturæ, ut videre, audire, moveri, canere, rugire, latrare, mugire, hinnire.* V. c. l. Donatio Constantini M. est verissima historia, *& est merum hominum commentum;* Medium, *aliquid de eâ verum, aliquid commentitium est.* De Pipino *Caroli M. Patre aliquid hic est, qui Stephano II. Papæ Exarchatum Ravennæ & alia ad Urbem spectantia, & quicquid inter Padum & Apenninum à Placentinis usq; ad stagna Venetorum interiacet, donavit, &* Carolus M. *Pipini filius plurimas regiones Hadriano I. concessit,* Ludovicus etiam *Caroli filius Civitatem Romam cum suâ jurisdictione, maritima Hetruriæ, & quædam mediterranea cum Ravennæ Exarchatu juramento Papæ Paschali facto concessit.* Alexander III. calcavit collum Imperatoris Friderici II. Venetiis, *& non calca:* Medium, *Ad duras conditiones ineundas Imperatorem per filium captum adegit. De colli calcatione multi Historici nihil habent.* Martinus V. dispensavit cum quodam in sorore suâ germanâ in uxorem ducendâ, *& non dispensavit, sed mendacium hoc est, ut* Bellarminus L. 1. d. matrim. C. 25. *ait,* Medium, *Non cum suâ germanâ propriâ, sed qui contraxerat & consummaverat conjugium cum illius germanâ, quam antea fornicariè cognôrat, quia consummata omnia fuerunt, dispens:* Omnes homines sunt divites, *docti, liberi, & nulli sunt tales,* Medium, *quidam sunt tales, quidam non.* V. de Contradict. s. 1. t. 53. Et de Oppositione, *s. 1. t. 45. 115.*

63. Unica in homine est anima, & tres sunt, Medium, *Utrumq; certo sensu dici potest.* Unica est *totaliter &*

adæquatè concepta, rationalis, quæ sensitivam & vegetantem virtute sui comprehendit. Tres sunt, *animam humanam partialiter & inadæquatè secundùm hunc aut illum vitæ gradum concipiendo, Vt quatenùs vitam dat, vegetans, quà sensum & motum, sentiens, quà intellectũ & rationem, rationalis dicatur.* Totum differt à partibus simùl sumptis & unitis, *& non differt,* Medium, *Vtrumq; dici potest.* Differt *ratione & prædicandi quibusdam modis,* Non differt *realiter & essentialiter, quasi totum nova aliqua & separata essentia esset, quàm omnes partes junctæ & unitæ.* Anima humana fœtui à Deo creando infunditur, *& à parentibus in sobolem propagando traducitur,* Medium, *totum hoc non liquet, & ἐπέχειν hic tutissimum.* V. Dec. 2. Misc. d. 3. & 4. Anima humana à Patre propagatur, *& à matre,* Medium, *ab utroq;. Generatio utriusq; sexus conjunctim est apotelesma, neutrius seorsìm.* V. c. l. d. 4. t. 14. 15. *Symbolum maris & fœminæ simùl hic, totum autem à neutro proficiscitur, Vt* Empedocles *dixit ap.* Aristotel. 1. d. gen. anim. C. 18. Vel, *Neutrum hic dici potest* Venena nutrire possunt, *& non possunt,* Medium, *Vtrumq; dici potest.* Nutrire possunt, *ubi scil. à forti temperamenti superari, & in succum aliquem à calore Naturæ verti possunt ac in raris extraordinariisq; subjectis. Sic sturni cicutâ nutriuntur, & coturnices veratro, puella aliqua Indica veneno nutrita, aliiq; venena innoxiè assumpserunt, Vt* Dec. 2. Misc. d. 7. t. 20. *monitum.* Non possunt, *si scil. ab imbecilli temperie superari & mutari nequeant, & in ordinariis subjectis, ac communi vivendi modo, Vbi venena interimunt, non nutriunt. Plurima his similia adduci è campis Philos. possunt, si id destinati aut necessum foret. Et hæc de* medio religioso CUM DEO *hac vice disceptata esse, sufficiat.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.